THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

REGIONVM ET VRBIVM JVRIS VENETI.

TOMI QVINTI PARS TERTIA.

THESAVRVS ANTIQVITATVM ET HISTORIARVM ITALIAE,

Quo continentur

Optimi quique Scriptores,

Qui

REGIONVM ET VRBIVM JVRIS VENETI

Confiniumque Populorum ac Civitatium Res Antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriae prodiderunt:

Digeri olim coeptus Cura & Studio

JOANNIS GEORGII GRAEVII.

Accesserunt

Variae & accuratae Tabulae, tam Geographicae, quam aliae, ut & Indices ad singulos Libros locupletissimi:

CVM PRAEFATIONIBVS

PETRI BVRMANNI,

J. U. D. Historiarum, Graecae Linguae, Eloquentiae & Historiae foederati Belgii, in Academia Lugduno-Batava Professoris.

TOMI QVINTI PARS TERTIA.



LVGDVNI BATAVORVM,

Excudit PETRVS VANDER Aa,

Bibliopola, Civitatis atque Academiae Typographus, MDCCXXII.

Cum speciali Privilegio Illustr. ac Praepotent. Ordinum Hollandiae & West-Frisiae.

SPLENDORIS MAGNIFICENTISSIMÆ URBIS VENETIARUM CLARISSIMI PARS POSTERIOR.

SPLENDORIS MAGNIFICENTISSIMÆ URBIS VENETIARUM CLARISSIMI;

Æ Figuris elegantissimis, & accurata Descriptione emicantis;

PARS POSTERIOR:

Regimen Serenissimæ Reipublicæ VENETÆ, Magistratus, Dignitates, Ædificia Publica atque Privata, Pompas, Festa, Spectacula, & Sumptuosissima quæque recensens.



LUGDUNI BATAVORUM,
Sumptibus PETRI VANDER Aa;
Bibliopolæ, Academiæ atque Civitatis Typographi.

PARS POSTERIOR;
UBI
SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ
V E N E T Æ
REGIMEN, MAGISTRATUS
ET OFFICIA EXPENDUNTUR;
Ædificia publica describuntur, atque privata; nec Illustrissima quæque omittuntur.

DE
REGIMINE ET MAGISTRATU
SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ VENETÆ.

MAGNA, quam describendam assumimus, hujus regiminis Machina Ecclesiasticis, ac Sæcularibus potestatibus innititur. Primæ sunt Patriarchæ, Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, Vicarii, Canonici, Plebani, Rectores, Curati &c. qui cum ab Ecclesiæ *Romanæ* ritibus non dissentiant, non opus est de illis longam contexere seriem.

Alia sunt multa Reipublicæ corpus constituentia membra, quorum aliqua spectant ad negotia publica, ac Politiam, velut Senatus, ac Collegium; Alia judicium exercent, ut sunt Collegia, Consilia, Tribunalia Officia, Magistratus Officia, aliæque similes dignitates.

Ex his alia Criminales, alia Civiles, alia mixtas dijudicant Causas. Aliqua publica, aliqua privata respiciunt negotia; alia bonis moribus; alia sanitati conservandæ invigilant, alia vectigalia regunt. &c. Cæterum ex ipsorum Magistratuum serie optime dispositum apparebit regimen. Hos tamen sine distinctione Causarum ad ipsos pertinentium referemus, cum non Curialibus præ-

bere materiam; sed optimè constitutæ Reipublicæ ideam exhibere nobis in animo sit.

MAGNUM CONSILIUM.

Hoc est Corpus, aut supremæ auctoritatis hujus Dominii fons & origo. Ad hoc Nobiles omnes, qui sunt numerô 1560. post 25. ætatis annum conveniunt. Interveniunt etiam plures ante hoc tempus, qui gratiose admittuntur, aut quod familia de Repub. bene merita sit, aut quod illis sors die S. *Barbaræ* contigerit. Hoc enim die e nobilibus 25. ann. minoribus triginta eliguntur fortibus, quibus Magno Consilio interesse permittitur.

Congregatur omnibus diebus festis, aliisque quibus occasio postulat. A Calendis Martiis usque ad mensem Octobrem inclusive mane, & a Calendis Novembribus usque ad Martias post meridiem; noctu verò nunquam.

In hoc eliguntur Magistratus, & Potestates Civitatum hujus Dominii constituuntur; omnesque dignitates, ac Præfecturæ distribuuntur paucis exceptis, quas Senatus dispensat.


D U X.

Caput & initium hujus Corporis Dux est, cui non solum suprema dignitas ac præeminentia loco, habitu, ac Serenissimi Principis nomine tribuitur; sed & Publico nomine Legatis, aliisque aliorum Principum Ministris respondet; Ejus nomine cuduntur Monetæ, ac Publica edicta firmantur; quique etsi Publica negotia non potest solus determinare, in Majus tamen Consilium, Senatum, Collegium, ac Decem Virorum Consilium liberum habet ingressum, ubi gravissimæ res pertractantur, ac voto concurrit. Imo reliquos Magistratus frequenter visitans, eis justitiam ac æquitatem commendat.


Quod pertinet ad Ducalem jurisdictionem, solus despoticè decernit; aliqua officia in Ducali Palatio distribuit, utpote Scutariorum, aliorumque Ministrorum, in quos tamen Publicum ærarium stipendia confert; Equites promovet.

Ipso vivente, ab omni alia Reipub. dignitate ejus consanguinei excluduntur; nec ejus Corpus, ut aliorum Principum armati custodiunt.

Ejus electio, quæ semper in aliquem integerrimæ vitæ, ac de Patria benè meritum cadit, non minus, quam Pontificis Romani a sorte pendet. Post elatum enim defuncti Ducis corpus congregatur Majus Consilium, cui nonnisi 30. excedentes annum interve-




Il Gran Consiglio. | Consilii Majoris Concessus. | Le Grand-Conseil de Venise.



Dinumeratione di Candidati. | RECENSIO CANDIDATORUM. | *Dénombrement des Candidats.*

1. Dux. 2. Consiliarii. 3. Præsides Quadraginta-Virûm. 4. Magnus Cancellarius. 5. Urnæ et Globuli.



Il Ballottazione degli Magistrati. | ELECTIO MAGISTRATUUM. | Election des Magistrats.

a. Dux. b. Consiliarii. c. XL. Viralis Consilii Præfecti. d. a Secretis. e. Magnus Cancellarius. f. Decem-Virum Præfectus. g. Trium Vir Advocator. h. Decem-Virum Præfecti Apparitor. i. Trium-Viri Advocatoris Apparit. k. Nobiles, qui procedunt ad sortem. l. Urnæ. m. Tabellæ globulos recipient.

veniunt; iisque numeratis, totidem ponuntur in urna globuli, ex quibus triginta sunt aurei, reliqui argentei. Postea unus e consilio, unà cum quadraginta consilii Capite in S. *Marci* Templum descendit, ubi puerum duodecimum circiter agentem annum quærit, eumque in Consilium adducit, quem vernacula lingua *Ballottinum* vocant.

Postmodum, alius post alium, nobilis vocatur (quod *vocari ad pileum* dicitur) cui globulus a Puero extrahitur, qui si aureus sit, electus censetur, dumque ejus electio in vulgus editur, ejus propinqui e Consilio egrediuntur; ita ut tandem triginta, ex differentibus familiis electi remaneant; quibus manentibus cæteri discedunt. Hicque modus in omnibus Publicis electionibus servatur.

Ex 30. jam dictis novem etiam sortibus eliguntur, qui soli quadraginta eligunt; Primi nempe quinque, quibus aureum globulum contigit adipisci, singuli alios quinque eligunt, reliqui verò quatuor, qui numerum componunt quadragenarium.

Convocatur iterum Majus Consilium, ac publicantur quadraginta electi, quibus manentibus cæteri discedunt.

Ex dictis quadraginta 12. pariter per sortes eliguntur; qui viginti quinque eligunt hac forma; Primus tres eligit, cæteri duos.

Convocatur denuo majus Consilium, ac publicatur electio 25. qui soli remanent. Ex his 25. sortiuntur 9. quorum singuli quinque eligunt, qui omnes 45. numerum conficiunt.

Convocato tertio Majori Consilio hi 45. publicantur; qui soli remanentes eligunt sorte 11. quorum primi 8. quibus aureum contigit globulum habere, singuli quatuor eligunt; tres vero, qui supersunt singuli tres alios eligunt. qui omnes 41. conficiunt; qui convocato Consilio publicantur, hique sunt Ducis electores.

Hi igitur quadraginta electores audita Missa de Spiritu Sancto, ac præstito juramento, proprio Palatii loco includuntur, nec priusquam viginti quinque vocum suffragio novum Ducem elegerunt exeunt; qui hanc dignitatem durante vita gaudet.

Mortuo Duce Capita, ac membra Consilii quadraginta in Publicum S. *Marci* palatium se conferunt, Consilioque convocato, eliguntur quinque Correctores ordinum Palatii; ac tres alii Inquisitores super gesta mortui Ducis. Postea Funera ordinantur in Templo Sanctorum *Joannis* & *Pauli*, cum omnium sit amplissimum. Magnifica erigitur machina infinitis quasi ornata luminibus. Interveniunt Senatores purpurea toga induti, ut mortuo Principe, regimen non mori ostendant; nec ad populum pertinere, ut doloris, ac luctus indicia exhibeat. Clerus omnis ad-

ſiſtit, item Ordines, ac Societates, innumerabiliſque populus ad functionem concurrit.

Ducum ordinem poſt magiſtratus, ne ordinem rumpamus, apponimus.

SENATUS.

Nomen a Senibus derivatum. Dicitur etiam vernacula eorum lingua *Pregadi;* quod invitati *Latinè* ſonat; inde ſic dictum, quia in gravioribus Reipublicæ negotiis, Duces olim Reipublicæ Seniores invitabant ad voluntatem; quibuſcum omnia determinabant. Circa annum vero 1284. Duce *Joanne Dandulo* eos eligendos a Majori Concilio, eoſque maturiore ætate, moribus, ac prudentia, ac a publico famulo convocandos ſancitum fuit; quod & hactenus obſervatur. Componitur ex 250 circiter nobilibus 60. ſcilicet ordinarii Senatus; & 60. aliis ex additione extraordinaria anno 1435. ſtatuta. Interſunt & S. *Marci* Procuratores, Conſiliarii, Collegium, Conſilium Decem Virorum, Cenſores, Judices Tribunalis Criminalis Quadraginta, pluresque alii Magiſtratus, quorum aliqui etſi vocem deliberativam non habent, aſſiſtunt tamen, ut optimi regiminis modum a ſenioribus hauriant.

Ad Senatum ſpectat de Bello paceque aut ſuſpenſione decernere, populis tributa imponere, Monetæ valorem determinare, Militaria munera terreſtria maritimaque diſtribuere, aliaque temporaria officia; Legatos ad Principes mittere, fœderatis auxilia ferre; ut omnia unico verbo comprehendam, Senatus eſt velut Stomachus, qui omnia Politica negotia, quibus magnum hoc Corpus ad vitam alitur, digerit ac diſſolvit.

COLLEGIUM.

Janua per quam omnia graviſſima negotia ad Senatum referuntur, Collegium eſt. In ipſo Conſiliarii, Capita Conſilii Criminalis Quadraginta, Sapientes Majores, Sapientes *de terra firma* dicti, & Sapientes ordinum; qui omnes plenum conſtituunt Collegium. Hic Publicæ litteræ leguntur; recipiuntur Legati, & politica negotia deciduntur. Conſiliarii, & Capita Tribunalis 40. titulo *Sereniſſimæ Dominationis* cauſas aliquot Privatas & Civiles expediunt.

CON-

CONSILIARII.

Sunt Temporibus hisce nostris Consiliarii, quemadmodum Insularum olim fuere Tribuni. suntque numero sex ad numerum regionum Urbis. Eorum electio incepit Duce *Dominico Monegario*, cui duo fuere adjutores additi. Duce postea *Sebastiano Ziani* usque ad senarium numerum aucti sunt. Eorum auctoritatis est negotia in Majori Consilio proponere, item cæteris Consiliis præesse, & Majus congregare Consilium. prope Ducem sedent, quocum unà multa exequuntur; quæ ipsi quidem sine Duce, Dux vero sine ipsis exequi non potest. Dicuntur superiores Consiliarii; quique simul cum Duce, Collegio, ac Decemvirorum Consilio adsunt.

CONSILIARII INFERIORES.

Inferiores Consiliarii tres sunt, qui esse debent ex iis, qui superiores Consiliarii dicuntur, supra descriptis. Horum officium durat per annum, ex quo octo mensibus collegio, cæterisque quatuor Tribunali Consilii Quadraginta Criminali pro Duce assistunt, qui ante *Marci Cornelii* Ducatum ipse assistebat; quatuor autem hos menses, quos Criminali Quadraginta Tribunali assident, est concessum, ut primi vel ultimi quatuor, vel duo primorum cum duobus ultimorum ejusdem anni assideant.

SAPIENTES MAJORES.

Majores dicuntur a magnitudine negotiorum, quæ tractant; suntque numero sex. Congregantur ut prius agitent, quæ in Senatum sunt referenda. Procuratores ipsi S. *Marci* hoc munus ambiunt. Hos Senatus eligit, atque deliberativam vocem tribuit.

SAPIENTES TERRÆ FIRMÆ.

Quinque sunt numero, qui anno 1340. primum sunt constituti. Uniuntur consultationibus Majorum Sapientium. Unus ipsorum Sapiens de *Scriptura* dicitur; cujus munus est Militaribus functionibus assistere, legiones statuere, aut detrahere, ac Copias expedire &c. Sapiens *Capsarius* alius dicitur, qui Militibus aliisque stipendia præbet, nec ulla absque ejus subsignatione fit solutio; *Ordinationum* Sapiens tertius dicitur, qui Milites colligere ex oppidis adjuvat, quique Senior ut plurimum est. Omnes eligit Senatus, ad quem quidem accessum, non vero deliberativam habent vocem.

SAPIENTES ORDINUM.

Sunt & hi quoque numero quinque, regulariter juniores, cum hæc prima ſit dignitas juvenum. His quidem licet Senatum ingredi, etſi vocem in illo deliberativam non habent; ſed tantum ut de regimine inſtruantur, permiſſionem ſuas opiniones proponendi. Poſt hoc munus XVIII menſium, (quamvis ſex mediis menſibus a Senatu excludantur) ad judiciales magiſtratus obtinendos concurrere poſſunt.

S. MARCI PROCURATORES.

Hujus dignitatis inſtitutio initium habuit, *Petro Urſeolo* Duce, dum D. *Marci* Templum erigebatur; tunc enim fabricæ monitor electus fuit Titulo *Procuratoris B. Marci.* Huic muneri, quod olim prudentiſſimo Senatorum conferebatur, auctis negotiis plures alii acceſſere; ſuntque novem ordinarii, qui numerus anno 1442. ſtatutus fuit. Horum tres Templo S. *Marci* invigilant, qui dicuntur *De Supra*; Tres alii legationes ac teſtamenta citra *Rivo-Alti* Inſulam adimpleri curant; qui dicuntur Procuratores *De Citra*; Alii tres eandem habent curam ultra Canalem, quique dicuntur *De Ultra*. Orphanos abſque Tutoribus derelictos regunt, atque hæreditates inteſtatorum dirigunt; ſuntque pupillorum Tutores.

Plura pia legata, multaſque eleemoſynas in pauperes Urbis, Noſocomia, ac Monaſteria erogant. Prima eſt hæc dignitas a Ducis, nam durante vita poſſidetur, ac fere de Patria bene merentibus datur.

Auctus eſt aliquando Procuratorum numerus, collataque eſt dignitas aliquibus, qui in magnis Reipublicæ calamitatibus certam pecuniæ ſummam contribuerunt; mortuo tamen ex ſupranumerariis aliquo alius, quemadmodum in ordinariis fit, non ſubſtituitur. Majori congregato Concilio, eorum aliquot una cum militibus Publicum Forum cuſtodiunt. Pluribus gaudent privilegiis; non eſſe nempe ſubjectos Copiis colligendis, nec legationibus faciendis, niſi extraordinariæ ſint; Conſiliis, niſi Dux eligatur, non intereſſe, cujus electio, frequenter in aliquem Procuratorum cadit; ſemperque liberum ad Majus Conſilium, (vulgo *Pregadi*) habere ingreſſum.

CON-

CONSILIUM DECEMVIRORUM.

Etsi denario titulo nuncupatur, sunt tamen septemdecim qui ipsum constituunt, Dux scilicet, sex Consiliarii, decemque Senatores a majori Consilio electi; omnes tamen sunt differentibus ex familiis. Anno 1310 primum creatum fuit occasione celebris conspirationis *Boëmontis Theupuli*, ad rebelles opprimendos. Sequenti verò anno quinquennium confirmatum; deinde decennium; tandem 1335. in perpetuum statutum fuit.

Huic *Excelsi* nomen tribuitur; nam vere ejus auctoritas excelsa est, atque suprema super omnes etiam Magistratus a suo munere declinantes; procedit contra omnia læsæ majestatis crimina, contra seditiosos, monetarios, falsarios, &c. Exemplum, moderatio, ac gravitas Nobiles, atque plebem ad obedientiam, atque reverentiam formidine pœnæ cohibet. Ipsorum denique est legum stabilitas, populorum refugium, concordiæ nodus; æqualitatis fundamentum, ambitionis frænum, ac omnium regiminis partium temperamentum.

STATUS INQUISITORES.

Tres sunt, quorum duo a Consilio decem extrahuntur, tertius vero e Consiliariis Collegii. Centum oculorum Argus vere hoc tribunal dici potest, quod omnibus politicis Causis ad Reipubl. statum pertinentibus invigilat. Publicam majestatem nec in minimo violari sinit; atque de omnium vita absolute decernit.

ADVOCATI.

Ternarium Advocatorum numerum anno 1180. Senatus instituit. *Advocati Communis* dicuntur. eò quod cuilibet deliberationi Magni Consilii, Senatus, ac Consilii x. unus interesse debeat; his etiam contrariari potest, etiamsi majoris Consilii sint, & ad unum vel alium deferri magistratum ut examinentur. Habet Præses etiam violentias reprimendi potestatem; Criminales causas judicat, atque mixtas; Criminalium Causarum externarum appellationes judicat, quas defert ad Magistratum Civilem quadraginta Seniorum; in Consiliis quadraginta Criminalibus primum obtinet locum, contra delinquentes loquens; Ordines antiquasque leges in publico Consilio legit, ne ad ignorantiæ prætextus adduci possit.

Ab Advocatis ſervatur liber AUREUS dictus, in quo habetur Catalogus nobilium familiarum, cui inſcribuntur omnes nobilium liberi, legitimo Conjugio nati, unde probantur nobiles, antequam ad majus Conſilium admittuntur.

Eliguntur Advocati in Senatu, & in majori Conſilio confirmantur. Veſte utuntur Ducis modo violacea, modo rubra, ſicut & Conſilii decemvirorum Capita.

Tria ſunt Advocatis Conclavia; in quorum uno Cenſores congregantur.

CENSORES.

Duo ſunt, qui moribus, ac illicitæ ſuffragiorum ad Munera obtinenda procurationi invigilant. vocem habent in Senatu deliberativam, locique diſtinctione in Majori Conſilio gaudent. In examinandis reis Conſilio XL. Criminali ordinante unus Cenſorum adſiſtit, ſicut & Advocatorum unus, ac prædicti Conſilii tertius; qui ſimul Parvum formant *Collegium.*

COLLEGIUM XX SAPIENTUM E CORPORE SENATUS.

Tres e Collegii membris præſidentes habet, ejuſque munus eſt Civiles Cauſas, præcipue publicas graviores dijudicare.

SENATUS XL. CRIMINALIS.

Quadragenarium numerum ipſum nomen oſtendit, nam membra ejus ordinaria quadraginta ſunt; poſt Ducem tamen *Marcum Cornelium* tres Conſiliarii eidem etiam adſiſtunt loco Ducis, qui ipſe, ut ſupra diximus, primitus aſſiſtebat. Criminales cauſæ, (læſæ majeſtatis exceptis) ad hunc Senatum pertinent, eaſque ad hunc referunt Advocati, qui pro Juſtitia ſtantes, ſemper contra reos loquuntur; eos defendentibus Advocatis aut reorum propriis, aut a Senatu conſtitutis, ut Judices hinc culpas, hinc defenſiones videndo, ſecundum Deum ac legem melius judicent. Senatus iſte cæteris æqualibus præfertur, namque ejus membra quotquot ſunt in Majori Senatu vocem habent deliberativam. *Sereniſſimæ Dominationis* nomen ei competit, ejuſque Capita ſimul cum ſuperioribus Conſiliariis, collegio interveniunt.

VETUS QUADRAGINTA CIVILIUM SENATUS.

E Quadraginta Judicibus anno 1425. institutis componitur, qui causas Civiles 800. Ducatorum valorem non excedentes definiunt, casu appellationis ab aliis Urbis magistratibus subalternis; aut ab Advocatis ad hoc Tribunal relatas, etiam Criminales. Huicque, sicut & cæteris duo ejusdem familiæ Judices interesse nequeunt.

NOVUS XL. CIVILIUM SENATUS.

Eodem numero, ac ordine, quibus prædictus Senatus regitur, institutusque fuit anno 1462. Habent & ipsius, sicut & præfati Capita, suos vicarios eligendi facultatem, ad causas majoris momenti audiendas statuto ab ipsis tempore, quam *litem pendentem* vocant. Ad hunc Senatum similiter spectant Causæ ab 800. Ducatorum valore & supra; aliæque ab aliis Magistratibus ad hunc appellatæ, aut a Novis Auditoribus intromissæ; omnesque præterea Causas extra urbem exortas, quas Terræ firmæ vocant, dijudicat.

COLLEGIUM VIGINTI.

Triginta olim constabat membris, nunc ad viginti redactum. Causas judicat a 400 Ducat. valore, ad 800. in eisque definiendis eodem progreditur ordine, quo prædictus 40. Senatus. Potest & ipsum Criminales causas ab Advocatis intromissas agitare, ac judicare, sicut & cæterorum Collegium.

COLLEGIUM DUODECIM.

Causas peragit Civiles centum Ducat. valoris ad 400. Habetque Capita eorumque vices gerentes, easdemque judicandi formulas, ac Senatus quadraginta prædictorum; minoris etiam valoris lites agitat, in quibus Veteres, aut novi Auditores non consentiunt, hæ vero tantum summatim judicantur.

LEGUM CONSERVATORES.

Sunt tres melioris notæ Senatores, qui leges executioni mandari curant. Licentias in foro advocandi idoneis Viris concedunt, ac de arbitrariis causis ex compromissis in urbe exortis judicant.

PROVISORES MONASTERIORUM.

Tres sunt constituti Civilibus Monasteriorum urbis causis, aliisque piis judicandis; ad quos etiam pertinet abusus in Tem-

Templis ac Monasteriis exortos evellere; quare etiam criminaliter procedendi facultatem Decemvirorum supremum Consilium concessit.

NOSOCOMIORUM CURATORES.

Tres sunt, qui Nosocomia regunt, aliaque pia loca, quique etiam ad alias causas possunt Judices delegari.

ASSISTENTES SUPER HÆRESES.

S. Inquisitionis Tribunali juvando tres sunt constituti, qui alternis vicibus assistant. Quod tribunal Apostolicus Nuncius, Patriarcha Urbis, ac Inquisitor constituunt; qui hæresi suspectos, sacrilegos, &c. judicant.

EXECUTORES CONTRA BLASPHEMIAM.

Quatuor sunt, qui contra Virginum corruptores, blasphemos, ac in ludis deceptores (qui *Barri* Veneta lingua dicuntur) procedunt, ac contra omnes casus, ad quos ab Excelso x. Consilio delegantur.

RECTORES SCRIPTURÆ.

Publicas Scripturas tres dirigunt, de quibus, siqua orta sit controversia, Partibus convocatis, eisque auditis judicium ferunt; Publicæ pecuniæ a Maritimis, ac terrestribus Copiis rationem exigunt, sicut & a Magistratibus, aliisque vectigalium exactoribus.

EXECUTORES DELIBERATIONUM SENATUS.

Sex Copiarum expeditiones curant, ac dirigunt, sive terrestres sint sive maritimæ, omniaque ad illas pertinentia munera examinant.

PUBLICÆ PECUNIÆ EXACTIONI PRÆSIDENTES.

Quinque sunt, qui numera aut publica bona pro munere vendunt, veteresque debitores ad solvendum cogunt.

DELEGATI AD PUBLICAM PECUNIAM COLLIGENDAM.

Tres sunt ad pecuniam in publicis necessitatibus colligendam delegati, qui etiam omnibus depositis, præter monetariam officinam præsunt.

Scripturas in Senatum deferunt, quæ ab eodem determinantur.

PRO-

PROVISORES PECUNIÆ.

Ad hos ſex Cauſæ pertinent de Muneribus tractantes, tum in Civitate, tum foris, ac de fidejuſſionibus tum Curialium, tum aliorum Rectorum &c.

SAPIENTES, ET EXECUTORES AQUIS DESTINATI.

Ad omnes Cauſas de Lacuna, Portubus, ac vicinis fluminibus judicandas ſex ſunt a Senatu deſtinati; qui de prædictis Cauſis Civiliter, ac Criminaliter procedendi facultatem habent.

REFORMATORES STUDIORUM PATAVII.

Ad *Patavinæ* Univerſitatis ſtudiorum Regimen, tres ſunt conſtituti, qui Academicis functionibus præſident; quique in Secretorum Conclave congregantur.

SUPRA-PROVISORES, AC PROVISORES SANITATIS.

Ut omnia, quæ publicæ ſanitati nocere poſſunt, removeant ſex Nobiles Senatus deſtinat; qui omnia peſtifera, ut ne in Portum ingrediantur, prohibent; ſicut & naves, quæ ſanitatis valida non exhibent teſtimonia; Cibos corruptos, ac contaminatos vendi prohibent. Temporibus peſtilentia ſuſpectis; qui fines cuſtodiant, milites ſtatuunt; habentque pro hac re etiam de vita judicandi poteſtatem.

PROVISORES, AC DOMINI ARMAMENTARII.

Sex etiam Cauſas ad Armamentarium publicum ſpectantes diſcernunt; & de lignis aliiſque rebus ac negotiis agunt. Habentque Criminalem, ac Civilem procedendi auctoritatem.

PROVISORES AD ARCES.

Tres ad neceſſaria Arcibus providenda ſunt aſſignati; qui Militum habitus, tegumenta, ligna, ligones, aliaque inſtrumenta illis neceſſaria tribui curant.

PROVISORES AD ARMA INSTRUENDA.

Navibus ac bellicis Triremibus inſtruendis tres ſunt præfecti, qui eas hominibus, ceteriſque ad bellum neceſſariis inſtructas expediunt.

PRÆFECTI CAUSIS MILITARIBUS MARITIMIS.

Alii tres ſcholas Arteſque, quæ ſtipendia triremibus ſolvunt, judicant.

PRÆFECTI REI TORMENTARIÆ.

Qui pulverem nitratum, globulos, aliaque ad bellicum commeatum pertinentia, curant, tres ſunt, quibus omnes bellicorum tormentorum libratores ſubjiciuntur.

SUPERIORES.

Tres ſunt, qui ſententias a ſuperioribus villicis latas, in caſu appellationis, judicant. Ad hos regulariter Sereniſſima Dominatio cauſas aliquas particulares remittit.

DIVERSORES.

Sunt, qui publicos ſumptus, ac Miniſtrorum ſtipendia regunt graviſſimi Senatores, ne incaute fiant. Ad hos etiam delegari ſolent Civiles Cauſæ, tam Urbanæ, quam extraneæ.

PROVISORES FEUDORUM.

Ad Feudales Cauſas agitandas tres ſunt conſtituti: Hi Comites, aliosque Titulatos declarant. Regiſtrum tenent Feudorum Sereniſs. Reip. & contra eorum uſurpatores procedunt. Atque horum manibus Feudatarii fidelitatis ſervandæ ſacramentum præſtant.

PRÆFECTI BONIS COMMUNIBUS.

Communium locorum extra urbem bonis conſervandis tres ſunt præfecti, qui controverſias omnes de iiſdem communibus bonis judicant, eaque vendunt ſuppoſito prius excellentiſs. Senatus Decreto.

PRÆFECTI BONORUM INCULTORUM.

Ad hos quinque ſpectat Dominium publicarum aquarum, & ut bona inculta fæcunda reddantur, declarare, aliquibus ea a Senatu poſtulantibus.

SUPER-PROVISORES, AC ÆDILES CEREALES.

Sunt etiam quinque ab anno 1343. conſtituti, quorum munus eſt Annonam Urbi copioſam colligere; occaſione appellationis, de omnibus Cauſis Frumenti S. *Marci*, aut *Rivoalti* judicant.

ÆDILES CEREALES S. MARCI.

Tres de fraudibus in farina ac pane inventis judicant, hucque deferuntur lites de omni re frumentaria &c.

PRO-

PROVISORES OLEI.

Tres alii ad pretium olei quolibet menſe determinandum ſunt ſtatuti; publicas fraudes mulctant, ac contra deceptores criminaliter, ac civiliter procedere poſſunt.

PROVISORES FODINARUM.

Alii tres negotia ad Fodinas ſpectantia tractant. ad hos fodinarum inventores, ut eas manifeſtent, accedunt, qui eas concedunt, Decimas Principi reſervantes; habentque civiliter, ac Criminaliter procedendi poteſtatem.

PROVISORES Sylvæ MANTELLI dictæ.

Sunt & alii tres ad prædictam ſylvam viſitandam, ac ad eos, qui furtim cædunt, puniendos conſtituti, civili atque criminali poteſtate.

INQUISITORES MAJORUM SCHOLARUM.

Ad Scholarum negotia rectè peragenda, villicorum aut Rectorum depoſita viſitanda, ſicut & legatorum in eorum favorem executionem procurandam &c. tres Proviſores ſunt deſtinati, qui *Inquiſitores* dicuntur. qui etiam contra inventam fraudem criminaliter atque civiliter poſſunt procedere.

PROVISORES MONETARIÆ OFFICINÆ.

Tres Monetariæ Officinæ præfecti; qui cenſus determinant ſolvendos; ipſiſque plura de hac materia Senatus commiſit.

DEPOSITARIUS PRÆDICTÆ OFFICINÆ.

Hic Militibus aliiſque Miniſtris ſtipendia ſolvit &c.

PROVISOR SOLVENDI REDITUS E PRÆDICTA OFFICINA.

Unus ad reditum ac proventum ſuis temporibus ſolvendum conſtituitur.

PROVISORES FLATURARIORUM AURI, ET ARGENTI EJUSDEM OFFICINÆ.

Alius eſt Publicus Theſaurarius, ad ſolvenda ſtipendia flaturariis. qui & omnes ſumptus in aurum argentumque eodem delatum ſolvit.

EJUSDEM OFFICINÆ DEPOSITI CONSERVATOR.

Alius etiam censsus exigit a Civitatibus Serenis. Reip. subjectis; sicut & mulctam ab exulibus revocatis.

PROVISORES MONETÆ EJUSDEM OFFICINÆ.

Quinque huic muneri præsunt, quorum unus Inquisitoris nomine insignitur. Ad hos spectat Civili, ac Criminali auctoritate procedere contra monetas extraneas, falsas, minoris pretii &c.

PROVISORES, AC DIRECTORES PUBLICORUM EJUSDEM REDITUUM.

Tres præficiuntur publicis vectigalibus, aliisque reditibus.

AUDITORES COMMUNIS EJUSDEM OFFICINÆ.

Ad solvenda Senatus XL. stipendia, ac alia ejusdem Senatus suffragio mandata, sicut & militiarum stipendia &c. tres ibidem statuti sunt.

OECONOMI AURI AC ARGENTI INDIDEM.

Quatuor ad hoc munus statuuntur; quique aurum illud a Provisoribus accipiunt, & operario cuidam purificandum præstant; purificatum nummorum Magistro dant; qui impressoribus præbet; hi denique jam impressum Publico thesauro reddunt. Eodem modo se argenti Custodes gerunt, illud a Provisoribus accipientes, ut præparetur proprio dant operario, aliisque aurariis dictis tradunt; hique Numeratori, Numerator denique Publico deposito; prævio optimo ordine ac scriptura.

PROVISORES MACELLORUM.

Tres sunt ad quos Carnium directio spectat; id est, Boum, vitulorum, agnorum, ac cæterorum procuratio. habentque hac in parte Civilem, ac Criminalem auctoritatem.

COLLEGIUM DOMINORUM DE NOCTURNIS DELICTIS CRIMINALITER JUDICANTIUM.

Collegium hoc primo institutum fuit Duce *Zenone*; Sexque Nobilibus constat ad latrocinia, incendia, Raptus, Violationes, aliaque punienda, eorumque auctoritas usque ad mortem extenditur, eorumque sententia confirmata a Magistratu *Proprii* dicto appellari nequit, vel in superius jus vocari. aliter causa ad aliquem XL. Seniorum deferenda est.

In

In hujus Collegii loco leguntur in marmore ſculpta ſequentia verba;

MDCXIV. PRIMA DIE OCTOBRIS CARCERVM CLAVES IN LIBERTATEM FVERE EXPOSITÆ.

Cujus rei Cauſa cùm non exprimatur, lectori faceſſunt negotium, injiciuntque ſcrupulum.

COLLEGIUM DOMINORUM, AD CAUSAS NOCTURNAS CIVILES, CONSTITUTORUM.

Sex alii Duce *Petro Landì* ad nocturna, quæ non ſunt Criminalia, judicanda, ſunt conſtituti; ſeu ad aliquas particulares fraudes. Impenſas proceſſuum taxant; ſententiaſque Magiſtratus de exteris curant executioni mandari.

SAPIENTES MERCATURÆ.

Huic Magiſtratui gens Orientalis ſubjicitur. Ipſeque controverſias omnes de Mercatura emergentes judicat.

PROVISORES LIGNORUM.

Tres ſunt, qui lignorum omnium, quæ ad comburendum importantur, directionem habent; quorum ſententiæ ad ſuperiores Proviſores devolvuntur.

CURATORES SYLVARUM & LIGNORUM.

Sunt & alii tres Senatores; qui caſu neceſſitatis ligna Civitati, curant ſubminiſtranda.

PUBLICANI RERUM & MERCIUM MARITIMARUM.

Thoma Mocenico Duce. ad vectigalia quæ pro mercibus mari provenientibus ſolventur, exigenda ſunt conſtituti.

JUDICES PUBLICANORUM ALEXANDRINARUM MERCIUM.

Tres inſuper ad differentias occaſione mercium *Alexandria* provenientium componendas ſunt deſtinati.

ARBITRI PUBLICANORUM MERCIUM DAMASCI.

Ad componendas verò differentias e *Damaſcenis* mercibus ortas tres alios Senatus delegat.

PUBLICANI CANNABIS, vulgò *TANÆ.*

Tres ſunt ad exigenda vectigalia Cannabis, quæ in Urbem infertur.

RECUPERATORES.

Hunc Magistratum anno 1123. institutum tres constituunt. Ad ipsum Creditorum petitiones, rationum revisiones, mutuæque pecuniæ deferuntur. Aulæ titulo gaudet; & est inter sex una.

JUDICES EXAMINUM.

Tres anno 1254. Testium ad perpetuam rei memoriam examina curant, sicut & Testamentorum, & Instrumentorum, de venditionibus, cessionibus, obligationibus, &c. ut intra xxx. dierum spatium, siquis habet, contradictiones afferat. Titulo etiam Aulæ gaudent.

JUDICES EXTRANEIS CONSTITUTI.

Ad lites inter Venetos Cives & exteros componendas circa villicationem Domorum, ac Navium locationes &c. An. 1177. tres sunt Judices destinati. sententiarum verò executio spectat ad Dominos causarum nocturnarum civilium. Ad hos quoque spectat Publica Horrea visitare, ut in illis semper annona sit copiosa; Aula & hoc tribunal dicitur.

JUDICES DE MOBILIBUS.

Tres sunt anno 1281. instituti, qui de bonis Mobilibus, e testamentis dispositis, judicant. est & hoc tribunal e numero sex Aularum.

JUDICES PROCURATORUM.

De extraneis bonis, de dotibus vivente viro, ac de particularibus commissionibus, quæ ad Procuratores spectant, tres judicant, qui *Procuratorum Judices* dicuntur. Hic etiam Magistratus inter sex Aulas numeratur.

JUDICES DE PROPRIO.

Aliorum trium tribunal anno 1094. institutum est, ad judicandum de Mulierum dotibus, fratrum divisionibus, successionibus ab intestato, de ædificiorum confiniis. Estque sexta, ac ultima Aula.

DOMINI RERUM INVENTARUM.

Tres Advocati seu Recuperatores Publici anno 1280. sunt instituti. Hi de rebus Mari aut terra inventis judicant, sicut & de hæreditatibus ab intestato relictis, deficientibus hæredibus. Castigant

ſtigant etiam Judæos, cum Chriſtianis mulieribus, quique ſignum Judæorum non ferunt in pileo.

JUDICES PUBLICI.

Contra illicitos contractus, uſurarios &c. ut conteſtentur, tres alii ſunt anno 1280. inſtituti.

PROCURATORES, SEU SYNDICI S. MARCI AC RIV.OALTI.

Præfecti immoderatis ſumptibus rei judiciariæ, præter rationem factis, tres ſunt. Locum habent inter Ordinarios Judices, cum a litigantibus partibus expelluntur. Puniunt Miniſtros extorquentes.

VETERES CENSORES.

Tres anno 1340. creati ſunt, ad quos deferuntur Cauſæ, Caſu appellationis a magiſtratibus Petitionum, Extraneorum Examinatorum, Mobilium, Procuratorum, Publici, Conſulum, Pro-Conſularium &c.

NOVI CENSORES.

Alii tres Anno 1410. ſunt conſtituti, ad quos appellatione deferuntur Cauſæ Civiles aut Criminales, de quibus extranei Judices ſententiam tulerunt; dummodo pecuniariam pœnam reſpiciant, nam quæ corpus reſpiciunt, ad Advocatores pertinent.

CENSORES NOVISSIMI.

Ad novos Auditores a nimiis negotiis relaxandos; tres alii ſunt creati anno 1540. qui de omnibus Cauſis infra Ducatos quinquaginta judicant.

SUPREMI VILLICI.

Hi tres ſtatuti 1451. acceſſum in *S. Marci*, ac Rivoalti Palatium habent. ſex Aularum ſententias executioni mandari curant.

MA-

MAGISTRATUS RIVOALTI.

PROVISORES JURIS VETERIS ſeu ANTECESSORES.

Duce *Ziani* tres ſunt creati, quibus de mercibus judicandi poteſtas eſt, ſicut & bona ſub haſta vendendi, veſcorumque, ut ſunt piſces, fructus, &c. pretium ſtatuendi. Apud hos ipſos officinarum Juvenes nomina produnt.

PROVISORES AD JUS NOVUM.

Septem creati ſunt Duce *Reinerio Zeni.* qui auctoritatem habent in Diverſoria, Cauponas &c. ſuntque omnes e Senatu ipſo electi.

ARBITRI PACIS.

Jacobi Theupoli Ducis tempore alii quinque ad procedendum contra parvas diſſenſiones, injurias, verbera, pugilatum &c. quæ ſubditorum pacem perturbant, ſtatuti ſunt.

DOMINI MACELLORUM.

Tres ſunt conſtituti, ut Civiliter Criminaliterque omnes Cauſas ad Macella pertinentes perſequantur. Horum tamen ſententia appellata ad Magiſtratum Macellorum in S. *Marci* Palatio, defertur.

COLLEGIUM X. SAPIENTUM SUPER DECIMAS.

Ad Cauſas publicum Vectigal ſpectantes decidendas hi decem delegati fuere, quorum ſententia deferri poteſt ad Magiſtratum Bonorum Communium. Hi æſtimant bona privata, ut vectigalia ritè imponantur, quæ qui non ſolvunt a Majori Conſilio excluduntur.

COACTORES DECIMARUM AC TALIONIS ELAPSÆ.

Ad Decimas, ac Talionum mulctas colligendas, ſicut & ad bonorum auctiones, fraude non exhibitas, ſunt tres deſtinati qui Senatum, at ſine voce deliberativa ingrediuntur.

RA-

RATIONARII.

Ad triremium, ac bellicarum Navium rationes examinandas, sicut & aliorum qui Reipubl. debent constituti sunt; his etiam fiunt debitorum, ab Inquisitoribus terræ firmæ inventorum petitiones.

PROVISORES AC SAPIENTES OFFICIORUM.

Ad vectigalium schedulas cujuscunque sint sortis exigendas, utpote farinæ, vini, &c. post duos annos non solutas, tres delegati sunt, quibus patet sine voce ad Senatum ingressus.

PROVISORES SUMMI AC PROVISORES POMPARUM.

Quinque, aut sex Provisores, ac Super-Provisores Pomparum sunt destinati, quorum hi sunt majoris notæ Senatores, illi ad voluntatem majoris Consilii eliguntur; qui ingrediuntur Senatum quidem, sed sine voto. Horum munus est luxum victus ac vestitus cohibere, ac delinquentes pecuniâ mulctare.

MANCIPES ET RECTORES VECTIGALIUM.

Duce *Francisco Foscari* ad prohibitarum mercium venditores castigandos, omnesque causas vectigalia spectantes tum in Civitate tum foris, judicandas quinque aut sex sunt electi, quibus Civilis & Criminalis potestas.

ÆRARII SCRIBÆ.

Senatorum Tres ætate provecti Publicis reditibus recipiendis, ac tractandis sunt præfecti.

PRÆFECTI COMMUNIS CAMERÆ.

Tres sunt tanquam vicarii Gubernatorum Redituum; nam ipsi solutiones Publici æris accipiunt; etiam illius quod a Præfectis Urbium subditarum transmittitur.

PROVISORES COMMUNIS.

Ad Urbis munditiem servandam tres sunt destinati, qui vias, ripas, ac Pontes restaurari curant. collegiis & Societatibus etiam præsunt, habentque auctoritatem in portitores Urbis; In Senatu vocem habent deliberativam.

CURATORES ET ÆDILES SALIS.

Quatuor ſunt, qui ſalem ad Urbis uſum e Publicis locis, ubi conficitur advehi curant; ſevereque puniunt contra inhibitionem illum vendentes.

QUÆSTORES ÆRARII.

Sunt tres præpoſiti, qui Cameras extra Urbem ad ſolvendum cogunt poſt biennium maturato debito. Ad Senatum cum voce deliberativa accedunt.

ALII MANCIPES.

Ad tres alios ſpectat olei, aliarumque certarum mercium contra prohibitionem introductarum, ac venditarum mulctas exigere.

Duas habent ſatellitum naviculas, quæ nullæ ſunt ſubjectæ Poteſtati, aut Cancellariæ aliorum locorum, ſed omnes quas inveniunt prohibitas merces ad hunc afferunt Magiſtratum.

CENSORES ALII.

Ad ſchedulas poſt biennium non ſolutas pro Mercium Mari, aut terra provenientium vectigali, exigendas; ſicut & ad vectigal ex annonariis ædibus Germanicis dictis; tres alii conſtituuntur.

DISCEPTATORES JURUM ANTIQUORUM.

Ad judicium de iis ferendum, qui damna aliis extra *Venetum* dominium inferunt, tres alii deſtinantur. Quotannis aliquot monetas imprimi curant, quas die S. *Barbaræ* Dux Nobilibus Conſilio intervenientibus donat, loco aquatilium avium, quas eiſdem olim donabat; unde Aviculæ, & Veneta lingua *Ocelle* monetæ illæ vocantur. De Senatus mandato ad exteros Principes alioſque magnæ dignitatis viros, qui *Venetias* ſe conferunt munera mittunt. Habentque vocem in Senatu deliberativam.

ARBITRI PUBLICANORUM JURIUM RECENTIUM.

Tres contra Mancipes non ſolventes procedunt.

VICARII VETERIS TERNARIÆ.

Olei vectigali exigendo, ne ſine licentia vendatur, quatuor præfecti ſunt; quibus etiam illicitè vendentes ſit caſtigandi poteſtas.

VICARII NOVÆ TERNARIÆ.

Tres ſine mulcta ingreſſus, egreſſuſque olei, adipis, lignorum &c. vectigalia exigunt; & vetera jura etiam cum mulcta.

OBSO-

OBSONATORES.

Tres alii curam habent lacticiniorum, salitarum Carnium &c.

PUBLICANI MERCIUM EXPORTATARUM.

Hi tres vectigal omnium mercium hoc e portu exeuntium exigunt.

PUBLICANI VECTIGALIS TERRESTRIS.

Alii tres vectigalia omnium mercium a continente provenientium exigunt; sique sint in schedulis errores ad horum magistratum causa defertur, sicut & omnium mercium prohibitarum judicium.

CURATORES VECTIGALIS VINI.

Tres materias tractant ad Vini vectigal spectantes; & schedularum solutiones ad superiores vectigalium magistratus, non delatas, id est quæ mulctam non habent annexam, exigunt.

JUDICES FRUMENTARIORUM ET ÆDILES CEREALES RIVOALTI.

Differentias in annonæ Teloniis exortas componunt tres alii: ad quos etiam Pistorum, biscocti panis venditorum &c. Causæ deferuntur.

PROVISORES ARGENTARIÆ TABULÆ.

Tres ærariæ tabulæ præsident, qui de uno ad aliud nomen pecunias devolvunt, supposita determinatione &c.

DEPOSITARIUS EJUSDEM ARGENTARIÆ TABULÆ.

Adest & alius ad excipiendum, ac solvendum ejusdem tabulæ æs, & contra fraudes Civiliter, Criminaliterque procedendum constitutus.

PRÆFECTI DECIMARUM CLERI.

Ad Decimas, seu vectigalia ab Ecclesiasticis bonis provenientia exigenda constituunt tres alios; quæ exactio doni, sicut & mulctæ expers est.

TRIBUNUS ÆRARIUS EXCELSI X. CONCILII.

Exigit solutiones ab omnibus Magistratuum Urbis Notariis, ac communibus debitoribus, omnibusque Terræ firmæ subjectis Quæstoribus: stipendia ordinum Cancellariis, satellitibus, ac carcerum custodibus solvit.

CONSULES MERCATORUM.

Quatuor imperium habent in Sericarios textores: ac in omnes Controversias, quæ e Cambio oriuntur.

CONSULARES SUPERIORES.

Alii quatuor sunt, ad quos per appellationem devolvuntur Causæ a Consulibus definitæ, ac ab aliis. Et de iis qui bonis cessere, judicium ferunt.

COACTOR.

Primus solutiones in diario aut Mensali libro notat, ad cujus exemplum ærarius scriba exscribit.

COACTOR NOVI JURIS.

Est primus Præfectus exactionis Publicorum vectigalium.

QUÆSTORES MUTUI, AC COMMODATI.

Tria sunt hujus Magistratus membra; ipso depositum, quod olim asservabatur, nunc clausum est.

PROXENETÆ.

Tres sunt, qui vectigalia pactis conventis imposita exigunt. Magistratus hic nomen sumit a Proxenetis, qui *Messetti* vernacula Lingua dicuntur, unde *Messettaria* magistratus dicitur. huic statutum quoddam pretium emptionum, ac venditionum solvitur; & apud ipsum Depositum, seu Capsa asservatur.

ALTER PROXENETARUM MAGISTRATUS.

Judices hi ferunt de Causis ad Proxenetas spectantibus sententiam, habentque hi Civilem, ac Criminalem potestatem, ut triennium, triremibus damnare possint; eorum verò sententiæ appellatæ deferuntur ad Mercatorum Consules. Proxenetas hîc mediatores vendentium emptorumque intelligimus.

JUDICES SERICARIORUM.

Mercatores & ipsi sunt; eorum verò sententiæ ad Consules deferuntur appellatæ. Causas sericum spectantes judicant, &c.

TRIBUNAL LANIFICII.

Inter Mercatores ipsos aliquot statuuntur Judices, ad controversias de lanificio exortas decidendas; eorum verò sententiæ appellatione ad Provisores Communis referuntur.

CATALOGUS. DUCUM, AUT PRINCIPUM VENETORUM;

Ubi dictu dignissima ipsorum gesta breviter produntur.

I. Paulucius *Anafestus Heracleensis* Primus *Venetiarum* Dux anno 697. electus; (ante ipsum enim Militum Magistri, ac Tribuni Rempublicam regebant). Insignis bonitatis ac justitiæ Vir. *Luitprandum Langobardorum* regem sibi in defensionem Reipub. sociavit. xx. Principatus anno diem obiit ultimum.

II. *Marcellus Tegalianus Heracleensis* anno 717. creatus est. Ipso Duce Controversiæ inter *Aquilejensem*, & *Gradensem* Patriarchas ortæ sunt; vixit in Ducatu annos circiter ix.

III. *Ursus Hypatus* electus 726. ad *Rom.* Pontif. instantiam bellum contra *Langobardos* gessit, eosque ab Urbe *Ravenna* expulit. Arma deinde contra Aquilejenses convertit, eosque e *Gradu* ejecit: Tandem tumultibus *Aquilejensium*, ac *Gradensium* implicitus interfectus fuit, 75. æt. ann. Quo mortuo Tribuni in *Malamocco* ad novi Ducis electionem sunt congregati, & cum consentire non possent, Militum Magistrum per annum regimini præfecerunt; isque fuit *Nicolaus Leonus*. Secundo vero anno præfectus est *Felix Cornacola*, seu *Cornachinus*. Tertius fuit *Theodatus Hypatus*, qui ob suam bonitatem biennium confirmatus est. Quartus *Julianus Ceparius*, aut *Hypatus*; Quintus ac ultimus Magistrorum militum habuit imperium *Joannes Fabriatius*, quo deposito effossisque oculis, iterum ad Ducis electionem ventum est.

IV. *Theodatus Hypatus* 742. electus in *Malamocco*. Antea summa laude Magister Militum fuerat; Dux vero electus absolutum con-

cilio *Gallæ* affectabat Imperium; unde anno 755. Ducatu ac oculis privatus fuit.

V. Fuit *Galla* electus, qui spem de se conceptam frustratus, post annum ab electione, depositus ac luminibus privatus fuit.

VI. Creatus fuit *Dominicus Monegarius* an. 756. cui duo Tribuni Coadjutores dati sunt, a quibus Consiliarii originem ducunt, qui hodieque eliguntur. Post quinquennium, exorto tumultu, & ipse privatus est luce, ac regimine.

VII. *Mauritius Galbarus* 764. electus est Dux. summæ probitatis vir, cui filius coadjutor additus est, qui eidem in dignitate successit anno 796.

VIII. *Joannes Galbarus* prædicto *Mauritio* Patri successit, qui & ipse ad Patris similitudinem Mauritium filium habuit adjutorem; qui *Gradum* se conferens Patriarcham e summo turris præcipitem dari jussit. Quo moti *Obelerius* & *Fortunatus* Nepotes Patriarchæ conjurantesque in ipsum ac Patrem Ducem, ipsum expulerunt, & Ducem alium elegerunt.

IX. Dux fuit *Obelerius Antenorius* 804. qui *Beatum* ac *Valentinum* fratres sibi assumpsit Coadjutores. Hujus tempore pugnatum est cum *Pipino* Rege, qui unà cum suis devictus, ac omnino profligatus Canalis *Arco Orphani* nomen sua cæde mutavit. Tum Ducis thronus *Malamocco Rivoaltum* translatus est. Hic tandem Dux fratresque tanquam *Gallorum* fautores Patria fuerunt & Principatu privati.

X. *Angelus Participatius* primus *Rivoalti* electus anno 809. qui etiam *Badoarius* dictus est; *Joannem* filium sibi adjutorem fecit. Hoc Duce Ducis Palatium ædificari cœpit. Varia Templa, pluraque Monasteria erigi jussit. *Foroliviensés* subegit; ac 18. annum Ducatus agens omni gloria cumulatus obiit.

XI. *Justinianus Participatius Badoarius* dictus, prædicti Ducis filius anno 828. Ducatum obtinuit. *Joannem* fratrem ex exilio revocavit. *Siciliæ* Regno contra Mauros præbuit auxilia. Ipso Principe S. *Marci* Corpus *Venetias* translatum est, ipsiusque Templi jacta sunt fundamenta.

XII. *Joannes* I. anno 829. fratri successit, qui Templo D. *Marci* finem imposuit. Contra *Narentanos* bellum gessit. *Cursolam* proficiscens *Obelerium* morte punivit. Interim a *Carosio* conjuratione facta Principatu dejectus est. *Carosio* vero a populo luminibus privato *Joannes* iterum accersitus est; qui iterum obortis inter ipsum, & *Mastalitiam* Domum tunc potentem jurgiis, captus, ac in exilium *Gradum* missus; ubi sumpto Monastico habitu vitam finiit.

XIII. *Petrus Tradonicus*, vel *Gradonicus* electus anno 836. Templum S. *Pauli* jussit ædificari; *Joannem* filium habuit adjutorem;

contra

contra *Narentanos* arma direxit. Classem LX. Navium contra *Mauros* expedivit. Tandem domum e *Zachariæ* templo rediens a conjuratoribus occisus est, cum annos 28. Principatum tenuisset.

XIV. *Ursus Participatius* sive *Badoarius* electus 864. Saracenos fugavit *Dalmatiæ* littora populantes. Regionem Dorsi duri timore de Piratis desertam habitari jussit. Decimo septimo Principatus sui anno e vita decessit.

XV. *Joannes II. Badoarius Ursi* filius electus 881. *Badoarium* fratrem *Romam* misit, qui insidiis *Comachii* Principis in itinere interfectus est; Dux vero collectis armis *Comachium* cepit. Tandem in morbum incidens VI Ducatus anno eidem renunciavit.

XVI. *Petrus Candianus* 887. Ducis obtinuit dignitatem, sed *Candiana* familia in *Sanutam* mutata est, ut ferunt. Hic bis contra Narentanos *Veneta* maria infestantes pugnavit; quos primo devicit, secundo interfectus est, ejusque Cadaver *Gradum* delatum est post sextum ejusdem Principatus mensem.

XVII. *Petrus Tribunus*, quem volunt Familiæ *Memiæ* originem dedisse, Dux factus est anno 888. *Hunnos* devicit. *Berengarium* Cæsarem expugnavit. annisque XXIII. Principatum feliciter gessit.

XVIII. *Ursus Badoarius II.* 912. electus est. sub ipso primo *Venetiis* monetæ cusæ sunt. Ita sanctis religiosisque fuit ornatus moribus, ut cum XX. annis Ducatum tenuisset, Monachalem habitum induens in Monasterio S. *Felicis* in *Amiano* clarus miraculis, mortuus sit; sanctique fuerit nomine insignitus.

XIX. *Petrus Candianus II.* aut si mavis *Sanutus Petri I.* filius anno 932. Dux creatus est; quo Duce *Venetæ* Virgines ab *Istri accolis* raptæ sunt, ac recuperatæ; in cujus facti memoriam die Purificationis *Mariæ* Templum S. *Mariæ Formosæ* Dux quotannis visitat. sub ipso etiam nonnulla loca Istri capta sunt. Ipseque postquam VII. annis Ducatum tenuisset feliciter obiit.

XX. *Petrus Badoarius Ursi II.* filius. Ab *Istri accolis* captus ac libertate donatus anno 939. Dux creatus post Principatum biennio detentum omnium dolori mortuus est.

XXI. *Petrus III. Petri II. Candiani* vel *Sanuti* filius anno 941. Principatum habuit; Bellum cum *Narentanis* composuit; *Petrum* filium sibi adjutorem adscivit, qui ob pravitatem exilio damnatus est, *Ravennam*que profectus sex Navibus a *Guidone Berengarii* filio obtentis multa mala intulit *Venetis* non sine magno Patris dolore, quo afflictatus post Ducatus *XVII.* annum cessit e vivis.

XXII. *Petrus IV. Petri III.* proximè dicti filius ab exilio revocatus Patri successit 958. Hic prima repudiata uxore *Vadettam Alberti Ravennæ* Principis filiam duxit. Arma direxit contra *Udertum*,

tum, cepit, ac ſolo æquavit. Excitata tamen populi violentia facibus in Palatium Ducis illatis, (quibus etiam Templum S. *Marci* flagravit) periit, unde etiam 300. Domus uſque ad S. *Mariam* in *Sebenico* conſumptæ ſunt. Principatum tenuit annis 18.

XXIII. *Petrus Urſeolus* religioſiſſimæ vitæ vir, anno 976. Princeps electus S. *Marci* Templum reſtauravit; *Gradum* muris cinxit; *Barium* a Saracenis defendit. Et cum Rempubl. biennio feliciter rexiſſet in *Aquitaniam* ſeceſſit, ubi Monachus factus unà cum *Joanne Gradenico* ac *Joanne Mauroceno* pie vixit ſancteque obiit; Ejus Corpus in Monaſterio S. *Michaëlis* in *Cuſſano* adhuc habetur.

XXIV. *Vitalis Candianus*, vel *Sanutus* anno 978. creatus poſtquam per annum rexerat morbo affectus Principatu ceſſit, habitumque monaſticum induit.

XXV. *Tribunus Memius* anno 979. creatus continuas *Maurocenæ*, ac *Coloprinæ* familiæ rixas pertæſus, Ducatu relicto, S. *Benedicti Monachus* factus eſt.

XXVI. *Petrus Urſeolus II. Petri I.* filius anno 991. creatus ferè omnem *Dalmatiam* acquiſivit. *Narentanis* bellum intulit, & poſtquam annis 18. Principatum tenuerat, vita exceſſit.

XXVII. *Otho Urſeolus Petri* prædicti filius anno 1009. Dux factus *Ungariæ* Regis filiam ſibi matrimonio junxit; plura geſſit in *Dalmatia*. *Flabanicorum* conjurationem fugiens ſeceſſit in *Græciam*, ubi poſtquam annis 17. fuerat, Monachus adſcribi voluit.

XXVIII. *Petrus Barbolanus* vel *Centraicus*. anno 1026. Dux Urbis tumultus ſedare ſtuduit; opera vero *Urſi Othonis* fratris tunc Patriarchæ in exilium miſſus eſt; illius verò locum occupavit idem *Urſus Urſeolus* animo reſtituendi *Othoni* fratri ab exilio revocando Principatum; cujus audita morte eundem *Dominico Urſeolo* tradidit, ut dignitas ſuæ Domi maneret, ipſeque iterum Patriarchatum aſſumpſit. Poſt tres verò dies Populus Duci ſuccenſuit, ac in exilium *Ravennam* pepulit, cujus locum ſuppleturus.

XXIX. *Dominicus Flabanicus* anno 1033. Dux conſtitutus eſt; qui, Populo annuente, decrevit non licere in poſterum Ducibus ſibi Coadjutores adjungere; *Urſeolos* Magiſtratibus indecores declaravit, & Principatum decennio tenuit.

XXX. *Dominicus Contarenus* 1043. Dux *Gradum Aquilejæ* Patriarchæ abſtulit, illamque reſtauravit. *Zaram* recuperavit a *Croatis* occupatam, *Rupertum Guiſcardum* in *Apulia* vicit & anno Ducatus 27. mortuus eſt.

XXXI. *Dominicus Selvus* anno 1071. Dux electus Uxorem habuit *Nicephori Byzantini* Imperatoris ſororem, cujus petitionibus annu-

annuens arma contra *Rupertum Apuliæ* Ducem direxit, a quo victus Principatu privatus est, postquam annos 23. tenuerat.

XXXII. *Vitalis Valierius* 1084. creatus copias contra præfatum *Rupertum* refecit, & in *Alexii* auxilium, magnam *Dalmatiæ* partem adeptus est. Divi *Marci* Templum ampliavit; ipsoque Principe fuit celebris illa ejusdem S. Euangelistæ apparitio die 25. *Junii*; annis 13. in Principatu vixit.

XXXIII. *Vitalis Michaël* 1096. creatus, bulla Cruciatæ contra Infideles facta, 200. Navium & triremium classem expedivit. *Pisanis XXII.* triremes abstulit; *Smyrnam* adeptus est, *Brundusiumque* in *Apulia;* V. annis Principatum gloriosè habuit.

XXXIV. *Ordelaphus Valierius* creatus 1102. classem paravit auxilio *Balduini* Regis *Hierosolymitani;* *Zaram* quæ iterum seditione defecerat, recuperavit. *Patavinos* ad *Beras* de confiniis disputantes armis vicit. Hoc Duce Templa S. *Zachariæ*, S. *Scholasticæ*, S. *Laurentii*, ac ex parte templum ac Palatium S. *Marci* incendium consumpsit. Ipse *Zaram* reversus, & strenuè pugnans gloriosè occubuit post Principatus annum 15.

XXXV. *Dominicus Michaël* Dux anno 1117. creatus, suadente *Calixto* Pontifice Classe 200. Navium collecta *Joppen* obsidione liberavit, *Tyrum*, *Chion*, *Samum*, *Rhodum*, *Mytilenem*, & *Andrum* cepit; tandem Victoriis gloriosus & Venetias reversus post 11. Ducatus annum obiit.

XXXVI. *Petrus Polanus* anno 1128. electus, *Phani* Civitatem *Piceni* in devotionem S. *Marci* recepit, *Patavium* expugnavit, *Siciliam* vastavit, *Peloponnesum* recuperavit. annis 20. in Principatu vixit.

XXXVII. *Dominicus Maurocenus* 1148. Dux factus *Polanos* & *Parentinos* subegit, *Anconitanos* Piratas debellavit; cum *Willelmo Siciliæ* Rege societatem iniit. Ipso Principe S. *Marci* turris erecta, aliaque ædificia; post septimum Ducatus annum obiit.

XXXVIII. *Vitalis Michaël II.* creatus 1155. cum *Pisanis* reconciliatis fœdus societatis contraxit, *Thraciæ* ac *Epidauri* arces dejecit: *Uldaricum Aquilejæ* Patriarcham cepit, ac Bacchanaliorum ferias V. quinquagesimæ instituit; *Samum*, contra *Emmanuëlem* Imperatorem *Græcum* pugnans recuperavit, ac victor Venetias reversus a suis interfectus fuit post 17. Ducatus annum.

XXXIX. *Sebastianus Ziani* anno 1172. creatus, primus congiarium populo dedit. Victoriam de *Friderico Barbarossa* Imperatore reportavit, favori *Alexandri* Papæ *III.*; pinguissimum patrimonium Publico ærario, ac Templis S. *Marci*, ac S. *Juliani* testamento reliquit; 6 complevit in Principatu annum.

XL. *Orius Malipetrus* 1179. electus Classem in Terræ Sanctæ re-

cuperationem expedivit, *Ptolomaida* cepit, *Zaram* recuperavit, Venetis rebellem. Ducem a 40. Senatoribus eligendum statuit. *Saladinum* superavit; 14. post annos relicto Ducatu ad Monachos se recepit.

XLI. *Henricus Dandolus* anno 1192. creatus *Polam* a *Pisanis* recuperavit, *Triestinos* subegit; una cum *Gallis Byzantium* expugnavit, quod postea fuit inter *Gallos* ac Venetos divisum; *Candiam* quoque aliasque insulas in *Ionio* ac *Ægeo* mari occupavit. *Epidaurum* recuperavit, tandem 17. Ducatus anno *Constantinopoli* obiit.

XLII. *Petrus Ziani* Filius *Sebastiani* 1205. electus *Peloponnesum* adeptus est, *Modonem*, *Coronem*, *Gallipolim*, *Nassum*, *Parum*, *Andriam*, aliasque insulas; Colonias in *Candiam* misit, titulo equestrium copiarum. *Patavinos* subegit, & *Januenses*. Uxorem habuit *Constantiam Tancredis Siciliæ* Regis filiam. Tandem post Principatum 22. annis feliciter habitum, dignitatem cum habitu Monastico S. *Benedicti* commutavit.

XLIII. *Jacobus Theupolus* anno 1229. creatus *Candiam* Piratis expurgavit; bellum cum *Genuensibus* composuit in novem annorum spatium, in quorum auxilium sex triremes Duce fratre expedivit contra *Fridericum* Imperat. *Polam Zaram*que recuperavit; & 20. Ducatus sui anno ex hac vita migravit.

XLIV. *Marinus Maurocenus* anno 1249. electus. sub ipso præscripta est forma novum Ducem eligendi, quo nunc eligitur modo a 41. electoribus. *Patavium Ezelino* Tyranno dempsit; quartum post Ducatus annum obiit.

XLV. *Reinerius Zenus* 1252. Ducatum obtinuit. Contra *Genuenses* Classem *Soriam* misit. Imperium *Constantinopolitanum* ipso Duce fuit recuperatum. Pons *Rivoalti* ligneus erectus fuit; varii tumultus in Urbe excitati. 16. Principatus anno mortuus est.

XLVI. *Laurentius Theupolus Jacobi* filius in Ducatu successit anno 1268. legem constituit, e qua vectigalia mercium mari advectarum exigerentur; unde moti *Bononienses* aliæque vicinæ urbes contra Rempublicam arma capessentes profligati fuere. Postquam Ducatum 17. annis tenuerat, cessit e superis.

XLVII. *Jacobus Contarenus* anno 1275. electus. *Istrianos* iterum fecit Reipub. tributarios; contra *Anconitanos* vectigalia fraudantes, arma collegit. Quinque annis in Ducatu vixit.

XLVIII. *Joannes Dandolus* anno 1280. creatus. Primus *Ducati* signari jussit. Ejus tempore tam ingentes fuerunt pluviæ, & ita creverunt aquæ, ut omnes urbem perituram crederent; magnusque factus est terræ motus. Hic iterum bellum intulit *Istri accolis*, quibus *Aquilejæ* Patriarcha favebat. Decimo Principatus anno mortuus est.

XLIX.

XLIX. *Petrus Gradonicus* anno 1290. electus, bis infelici successu contra *Genuenses* commisit prælium. *Pera* capta, destructaque fuit. Statuit Magnum Consilium plebem excludendam regimine. Conspiratio sequuta est *Marini Bocconii*, qui morte pœnas dedit; repressaque etiam ipso Duce fuit gravis seditio, a *Boemonte Theupolo* excitata. tandem post Ducatus annum 22. e vita cessit.

L. *Marinus Georgius* anno 1312. Dux factus propriis erexit sumptibus S. *Dominici* Templum; *Zaram* obsedit; durante vero obsidione decessit, postquam x. Mensibus principatum tenuerat, sanctitatis odorem post se relinquens.

LI. *Joannes Superantius* Dux anno 1313. *Zaram* recuperavit, atque ad S. *Marci* (id est, *Venetæ* Reip.) obedientiam redire coëgit *Nonam*, *Spalatrum*, *Trau* & *Sebenicum; Patavium Veronensibus* liberavit, ac post 16. Duc. ann. obiit.

LII. *Franciscus Dandolus Canis* dictus ann. 1329. *Polam* in societatem admisit. *Bohemiæ* etiam Regem sibi conjunxit, cæterosque *Italiæ* Principes contra *Veronæ* Principem, variisque successibus peracto bello & tandem composito *Tervisum*, *Castrum Ballum*, ac *Bassanum*, liberumque per *Adicem* transitum obtinuit a *Mastino Veronæ* Principe. Magnâ caritate factâ procuravit annonam; ac tandem post decennium mortuus est.

LIII. *Bartholomæus Gradonicus* Dux 1339. *Candiam* amissam recuperavit. secundo ejus Ducatus anno die 25. Februarii aquæ adeo creverunt, ut pene tota Civitas submersa fuerit, sed miraculo annuli S. *Marci* exiccatæ sunt. Vixit in Ducatu annis tribus.

LIV. *Andreas Dandolus* anno 1342. dux electus. *Venetas* scripsit historias; facta societate cum *Clemente* Pontifice, aliisque Principibus contra Turcas, fuerunt *Smyrnæ* recuperatæ. *Zara* iterum defecit. Terræmotus plurima ædificia Urbis dejecit die conversionis S. *Pauli*. Genuenses expugnavit. *Bohemiæ* Regem sibi contra *Vicecomitem Mediolani* Ducem, sociavit. Peste tandem grassante post 12. Ducatus annum mortuus est.

LV. *Marinus Falierius* Comes *Vallis Marini* anno 1354. Dux salutatus est. Ipso Principe Classis *Veneta* prope *Sapientiæ* Insulam magnam habuit cædem. Post octavum verò Ducatus mensem, ob res male gestas, Dominiique affectationem interfectus occubuit.

LVI. *Joannes Gradonicus* Dux 1355. *Tarvisium* munivit, manumque collegit contra *Genuenses* ac *Dalmatas*, postque 14. Ducatus menses obiit.

LVII. *Joannes Dolphinus* 1356. Dux electus, bellum pro tempore composuit cum *Hungariæ* Rege; ac *Dalmatis* pacem dedit. Quinque annis Dux vixit.

LVIII. *Laurentius Celsus* Dux anno 1361. Hujus tempore *Austriæ* Dux *Venetias* venit, sicut & *Cypri* Rex; *Candia* a *Venetis* defecit; quatuor annos imperium tenuit.

LIX. *Marcus Cornelius* creatus Dux 1365. *Candiam* recuperavit; ac duos post annos vitam ac principatum finivit.

LX. *Andreas Contarenus* Dux 1367. Rebelles *Thiestrinos* subegit; cum *Leopoldo Austriæ* Duce pugnavit; *Patavinos* vicit; *Clodium Genuensibus* eripuit, victorque unà cum 4143. captivis reversus est. vixit in Ducatu annis 15.

LXI. *Michaël Maurocenus* 1382. Dux, post quartum Ducatus mensem aliquot leges contra homicidas unà cum vita reliquit.

LXII: *Antonius Venierius* anno 1383. Dux creatus proprium filium punivit severè; contra *Patavium*, *Mediolanenses*, ac *Ferrarienses* sociavit; post aliquot belli labores, bellum composuit. In Ducatu annos 18. degit.

LXIII. *Michaël Stenus* Ducatum obtinuit 1400. *Vincentia*, *Feltrum*, *Bassanum*, *Bellunum*, *Venetis* se dedere, ipso Principe; detecta *Veronensium*, ac *Carrariensium* societate cum Genuensibus, comparata manu *Patavium* ac *Veronam* adeptus est. cum annis 13. in Ducatu vixisset, e vita cessit.

LXIV. *Thomas Mocenicus* anno 1413. electus, quo tempore magna pars Palatii ac S. *Marci* conflagravit. In *Foro Livii* recuperata sunt, quæ *Philippus* Dux *Hungariæ* occupaverat. Decem circiter annos ducatum habuit.

LXV. *Franciscus Foscarus* electus Dux an. 1423. Ducis Palatium ampliavit. *Florentinos* contra Mediolanenses sociavit. *Brixiam* recuperavit, ac *Ravennam*. aquæ inundantes 1000000. aureorum damnum intulerunt urbi. Græculus quidam S. *Marci* Thesaurum furari tentavit, qui detectus pœnas dedit. Tandem cum annis 34. feliciter rempublicam rexisset senio confectus, Principatum reliquit.

LXVI. *Pasqualis Maripetrus* anno 1457. Dux constitutus. Pacem ac abundantiam summo studio servavit. Imprimendi libros artem in Urbem accessivit. Post quartum regiminis annum obiit.

LXVII. *Christophorus Morus* anno 1462. Dux *Turcis* bellum indixit; *Spartam* obtinuit. *Anconam* se contulit, ubi Christiani Principes Cruciatæ societatem facturi coiverant; Postque IX. Ducatus annum ex hac vita migravit.

LXVIII. *Nicolaus Thronius* Ducis Thronum anno 1471. occupans societatem cum Rege *Persarum* iniens, *Cyprum* expugnavit subegitque, & ad 2. Ducatus annum vix pervenit.

LXIX. *Nicolaus Marcellus* electus anno 1473. *Scodram* Turcarum octoginta millibus obsessam liberavit; cumque majora ab ipso

ipſo expectarentur, gloria cumulatus a morte præripitur, ubi vix per annum tenuiſſet imperium.

LXX. *Petrus Mocenicus* anno 1474. electus *Naupactum* Turci obſeſſam liberat, & omnem *Peloponneſum;* pauloque poſt Ducatus annum interiit.

LXXI. *Andreas Vendraminus* Dux conſtitutus anno 1476. interim bellum geſtum eſt contra Turcas, *Croja*que *Albaniæ* Urbs, illis erepta; poſt 2. Ducatus annum interiit.

LXXII. *Joannes Mocenicus* anno 1477. Dux, factum cum *Turcis* bellum compoſuit; *Corinthus* in Dalmatia ſubacta eſt, ipſo Duce, bellumque *Ferrarienſibus* indictum. annos circiter 8. in Ducatu vixit.

LXXIII. *Marcus Barbadicus* Dux ann. 1485. integerrimæ vitæ, paciſque amantiſſimus; paucis menſibus occupatum Thronum, unà cum vita reliquit.

LXXIV. *Auguſtinus Barbadicus* anno 1486. fratri ſucceſſit, bellumque contra *Auſtriæ* Ducem e ferrifodinis exortum geſſit. Carolum *VIII. Galliæ* Regem unà cum aliis ſociis ex *Italia* expulit; ipſoque Duce *Naupactus*, *Coronis*, Dyrrhachium, a *Turcis* ſunt occupatæ; *Cyprus* recuperata ac *Cremona* in *Italia*, aliaque loca. Occupato tandem annis 15. Ducatu ex hac vita migravit.

LXXV. *Leonardus Lauretanus* anno 1501. creatus eſt Dux, ſub quo *Rom.* Pontificis, Imperatoris, *Hiſpaniarum*, ac *Galliæ* Regum, *Mantuæ* ac *Ferrariæ* Ducum *Cameraci* ſociatorum impetum Reſpublica ſuſtinuit. Anno 1515. in *Rivoalti* terribile excitatum eſt incendium. Ipſeque poſtquam xx. annis Rempub. adminiſtraſſet, obiit.

LXXVI. *Antonius Grimanus* Procuratoris primo munere privatus, *Cherſumque* exul miſſus eſt; poſtea revocatus Procuratoria iterum dignitate inſignitus eſt, meliuſque perſpectis meritis anno 1521. Dux electus, qua dignitate biennio habita, deceſſit e vivis.

LXXVII. *Andreas Grittus*, anno 1523. Dux creatus, magno omnium applauſu ſuique laude annis 15. Ducatum geſſit.

LXXVIII. *Petro Lando* an. 1538. Duce religioſiſſimæ vitæ, ac pacis amantiſſimo *Novum Caſtellum* ædificatum eſt. Cui poſt 6. Ducatus annum a morte prærepto

LXXIX. Succeſſit *Franciſcus Donatus* anno 1545. qui perfici Ducis Palatium curavit, pacemque ſervavit; anniſque 7. occupato *Throno* ex hac vita tranſivit in aliam.

LXXX. *Marcus Antonius Treviſanus* vir integerrimis ornatus moribus anno 1553. Dux creatus. Bona ſua pauperibus erogabat; dumque ad ſacra in Templo S. *Franciſci* ad Vineam aſſiſteret, ad meliorem vitam vocatus eſt.

LXXXI. *Franciscus Venierius* anno 1554. Dux *Poloniæ* Reginam hac transeuntem honorifice excepit; ac duobus annis Ducatu potitus interiit.

LXXXII. *Laurentius Paulus* anno 1556. creatus Dux; *Zilia* hujus uxor, publicis plausibus magnaque pompa Ducis Corona donata est. Post 3. annos moritur.

LXXXIII. *Hieronymus Priulus* anno 1559. fratri successit, pacem quam invenerat studiosissime servavit; ac post 8. annum obiit.

LXXXIV. *Petro Lauretano* Duce anno 1564. electo, Armamentarium incendio consumptum est; Gravis penuria, deindeque bellum a *Selimo* indictum fuit; qui potentissimum contra *Cyprum* movebat exercitum, cui regno *Gallia* etiam totis viribus aspirabat. Dux ergo senio confectus, ac malis undique oppressus post 2. Ducatus annum hanc relinquens meliorem sibi vitam quæsivit.

LXXXV. *Aloysius Mocenicus Joannis* Ducis 72. Nepos. 1570. factus est Dux, Doctrina Celeberrimus, qui plures in Senatu conciones habuit; ac Navali victoria ad *Echinades* reportata insignis post annos 7. Mens. 1. mortuus est.

LXXXVI. *Sebastianus Venierius*, Prælio strenue gesto ad *Cursolari*, ipse summum classis imperium tenens, 30. *Turcarum* millia cecidit; naves 190. cepit, ac 80. igne consumpsit, sub auspiciis *Mariæ* Virg. cujus vexillum a *Pio* V. Pontifice obtinuerat. anno 1577. Dux eligitur. ejus tempore Magni Consilii lacunar flammis absumptum est. ipseque pestilentia post octavum Ducatus mensem interiit.

LXXXVII. *Nicolaus* de *Ponte* anno 1578. Dux creatus, qui totius Serenissimæ Reip. nomine ad *Tridentinum* Concilium legatus, omnium primus ejus Decreta acceptavit; primusque Equitis dignitatem legationis titulo a *Paulo III.* insignitus. Post annos 7. mens. 4. vitam commutavit cum meliori.

LXXXVIII. *Pasqualis Ciconia* 1585. electus *Rivoalti* lapideum pontem ædificari jussit; Carceres grandibus munivit lapidibus; & postquam annos circiter 10. dignitatem occupasset, interiit.

LXXXIX. *Marinus Grimanus* Dux factus 1598. Uxorem coronavit, quæ a *Clemente* Papa *VIII.* fuit aurea Rosa donata. vixit annos circiter 11.

XC. *Leonardus Donatus* anno 1605. Dux pace confirmata Classes contra Piratas *Ulsochios* duxit; cumque annis sex in Reipubl. administratione, ac Catholicæ Religionis professione se præbuisset, laude plenus morte corripitur.

XCI. *Marcus Antonius Memius* electus Dux an. 1612. bellum con-

continuavit contra Piratas, & *Ulsochios*, quos omnino delevit, vixitque in Ducatu annis tribus.

XCII. *Joannes Bembus* Dux an. 1615. electus; Hujus memoria annua Navalis victoriæ apud *Echinadas* Insulas reportatæ solemni commemoratione redditur celeberrima, die S. *Justinæ* 7. Octobr. Annis circiter tribus Ducatum tenuit.

XCIII. *Nicolaus Donatus* in Procuratoria dignitate meritis onustus ac laudibus an. 1618. Dux coronatus 40. tantum diebus omnium mærori vixit, & e Ducatu cessit ac vita.

XCIV. *Antonius Priuli* anno 1618. Dux factus Imperatricem *Eleonoram* excepit; postque V. Ducatus annum mortuus est.

XCV. *Franciscus Contarenus* anno 1623. creatus Dux, insignis fuit totius ferè *Europæ* Legati titulo & peragratione; bina coram *Paulo V.* Pontif. peroratione; quique eodem Virginis Nativitatis die, quo in mundum venerat, post annum Principatus discessit.

XCVI. *Joannes Cornelius* an. 1624. Dux salutatus ita justitiam sectatus est, ut nec proprio filio delinquenti pepercerit; ac meritis plenus post 6. Ducatus annum obiit.

XCVII. *Nicolaus Contarenus* anno 1630. Dux tria omnium maxima flagella, famem, Pestem, ac Bellum invicta constantia perpessus, paulo post Ducatus annum interiit.

XCVIII. *Franciscus Ericius* Dux anno 1631. bellum propter Maris Dominium aliasque causas exortum contra *Romanos* Pontifices gessit; quo composito, aliud formidabilius, ac fama celebrius contra *Turcas* in *Candia* exarsit. vixit in Ducatu annis 14. Mensibus. 8.

XCIX. *Franciscus Molinus* an 1645. Dux eligitur; bellum quod inceperat contra Turcas capta *Clissa* magni momenti Arce, reliquit, postquam ann. 9. Ducatum tenuerat.

C. *Carolus Contarenus* anno 1655. Dux factus *Candiæ* bellum continuavit, ac Patrias Leges magno zelo custodivit, & paulo post annum interiit.

CI. *Franciscus Cornelius* anno 1656. Dux coronatus, vix post diem 21. non sine omnium lacrymis defunctus est.

CII. *Bertucius Valierius* electus est anno 1656. quo duas insignes victorias arma *Veneta* ex Turcis retulere; *Moscoviæ* Legatum excepit; ac post 3. annum obiit.

CIII. *Joannes Pisaurus* sicut omnium gaudio anno 1658. electus est Dux, ita post annum universali dolore mortuus est.

CIV. *Dominicus Contarenus* successit anno 1669. qui bellum cum *Turcis* amissa *Candia* composuit, ac truculentissimo omnium, quæ historiæ referunt, bello finem imposuit. vixitque in Ducatu annis 15.

CV.

CV. *Nicolaus Sagredo* electus 1675. Legatos ſubditarum Civitatum elegantiſſimis orationibus fidelitatem ac Civium obedientiam teſtantes, recepit, qui vix annum & dimidium, Ducatum magno ſpiritu ac generoſitate commendabilis tenuit, ac omnibus mærori, mortuus eſt.

CVI. *Aloyſius Contarenus* ob ſuam integritatem ac merita ſine concurrentium numero electus eſt Dux anno 1676. die 26. *Auguſti* 1680. horribilis apparuit Cometa; Menſe *Octobri* 1682. ſequuta eſt maxima Majorum Luminarium conjunctio, quæ iterum Menſibus *Januario*, ac *Majo* ſequentibus eſt viſa; magnæ ſiccitatis fuit annus. Reſpublica vero toto hujus Principis tempore uſque ad an. 1683. pace ac abundantia floruit.

CVII. *Marcus Antonius Juſtinianus* an. 1683. electus bellum *Turcis* indixit, ac paulò poſt 4. Ducatus an. interiit.

CVIII. *Franciſcus Maurocenus* vir Navalis militiæ peritiſſimus, poſtquam imperaverat quater ſumma laude *Venetæ* Claſſi, multis onuſtus victoriis anno 1688. Dux eligitur, quam dignitatem quinque annis habitam, univerſali dolore una cum vita reliquit.

CIX. *Silveſter Valierius Bertucii* Ducis filius eligitur anno 1694. bellum cum *Turcis* compoſuit: ſacram ſocietatem cum Principibus Chriſtianis 1699. iniit ac poſt 6. ann. & menſ. fere 6. Ducatus univerſalibus lacrymis eſt ſepultus.

CX. *Marcus Antonius Mocenicus* anno 1700. Ducatum obtinuit, ipſo eodem die, quo Nobiles ad Ducem eligendum convenerant. ſanguine illuſtris, atque virtutibus ac meritis plenus, vitam, magno omnibus Reipublicæ Populis dolori, cum morte mutavit 6. Menſis Maji Anno 1709. ætatis ſuis 83.

CXI. Sereniſſimus Princeps *Joannes Cornelio*, cui cùm poſt Utini Brixiæque Præturas & Fori-Julienſem Proconſulatum intus adminiſtrata ſapientiſſimè, ſupremus Magiſtratus & Reſpublica ultro Principatum, & ſupplex ſe offerret, vix quidquam omiſit, ut ne imperaret, qui omnia ab adoleſcentia ita fecerat, ut imperare deberet, & oblatam ſibi dignitatem deprecatus eſt, non ſpecie recuſantis, quod maxime concupiſceret, ſed obnixe, ſed rogans, ſed impetraturus, ne vellent: ut eum agnoſceremus, non humano ambitu nec caſu, ſed manifeſta Dei præſentia & a Deo, cujus eſt *Venetorum* Reſpublica, Principem 24. Menſis Maji. Anno 1709. eſſe conſtitutum. Sanguine Regali proſatus: virtutibus eminens atque meritis plenus: non Patriæ ſolùm, ſed etiam Populorum omnium Pater: abundantiæ ac publici boni amator: liberalium artium Patronus maximus: Quem Deus Ter Optimus Maximus ſua in Benedictione atque Favore, Reipublicæ Populorumque felicitati in Pace, Abundantia ac inclyta Valetudine ſinat multos adhuc annos vivere: quod emedullato affectu, totoque pectore exopto.

ÆDI-



Veduta de l' PALAZZO DUCALE, Sopra la Piazza.

Prospectus PALATII DUCALIS, Supra Plateam.

Vûe du PALAIS DUCAL, sur la Place.

43.

ÆDIFICIA PUBLICA URBIS VENETIARUM;

Palatium Ducis.

Magnificum hoc ædificium omni jure cæteris anteponendum; variis incendiis nunc totum, nunc ex parte consumptum; meliori semper forma ac amplitudine restauratum fuit, & quidem ultimò Duce *Foscari*, cujus statua parilis super portam Majorem prope Templum D. *Marci*, ubi Leo, aliæque quatuor figuræ virtutes hujus Principis indicantes, opera *Bartholomæi Boni* an. 1439. videntur.

Ad Orientalem plagam navigiorum commoditati Canalem habet, ad meridionalem vero, & occidentalem publicum forum, ad septentionem tandem S. *Marci* Templum.

A majori porta usque Angulum *Armamenti* dictum 17. arcubus sustinetur, quorum quisque 10. latitudinis habet pedes, qui una cum columnarum latitudine 200. circiter pedum spatium occupant.

A dicto angulo usque ad alium super Canalem arcus habet 18. prioribus similes, qui 205. pedum explent longitudinem.

His arcubus formatur porticus ad Publice fori commodum, ac ornatum aptissimus.

Superius totidem stant acuti arcus Gothico more extructi qui clausi a fronte permultis columnis superiori formant ambulacrum ad palatii commodum, & ornamentum.

Octo januis patet ad Palatium ingressus, quatuor videlicet super Canalem quas *Ripas* vocant duobus a lateribus magni, ac parvi Fori, duobusque similiter Ecclesiæ communicantibus.

Post ingressum nobilis amplaque area patet in cujus medio putei duo, quorum ænea ora elegantissime sculpserunt *Nicolaus* de *Comitibus* ac fratres.

Per gyrum inferiori porticu tota area circumdatur 70. formata arcubus super validissimas erectis columnas, quæ renovatæ anno D. 1602. usque ad 1615. fuere. Architectus, & inventor, ut Palatii machina trabibus sustineretur, dum renovabantur columnæ, fuit *Bartholomæus* de *Alexandro Monopola* dictus, Artifex vero *Antonius Petri* de *Civitella*.

Eodem tempore in angulo areæ Templi juncto erectum fuit Horologium in loculo antiquis statuis ac ornamentis instructo.

Post angulum super nobilem basim erecta est statua *Francisci*

Mariæ de *Robore Urbini* Ducis qui *Venetis armis* an. 1536. imperavit; *Piſaurio* huc tranſlata opera *Franciſci Tertii*; quamque e marmore ſculpſerat *Joannes Baldinus Florentinus*, ſub qua leges hæc verba:

FRANCISCO MARIA I. VRBINI DVCI REIPVBL. COPIARVM IMPERATORI PISAVRI ERECTA, A FRANCISCO MARIA III. POSTERITATIS ORBITATE VENETÆ PIETATI COMMENDATA. S. C. MDCXXV.

Hinc non longè invenies *Adami* ac *Evæ* ſigna, quæ ſculpſit *Andreas Riccius Patavinus.*

Quatuor ſcalis in Palatium adſcenditur, quarum nobilior eſt illa, quæ *Gigantum* dicitur, e regione majoris Portæ.

Hæc nobilis ac verè regia ſcala albis contexta marmoribus habet in plano electi marmoris binos Coloſſos, quos *Gigantes* vulgus appellat; *Martis* ſcilicet, ac *Neptuni* ſimulacra Terreſtre ac maritimum ſignantia Dominium, quæ ſunt *Sanſovini* opera, anno 1566. hic collocata.

Sunt eadem in ſcala plurima marmorea ornamenta, inter quæ initio ſcalæ ſunt duo meſpilorum Caniſtra; quæ cum ſint guſtui ingrata, dum ſunt immatura, ætatis, ac ingenii maturitate Rempublicam docent eſſe regendam.

E regione in arcu Templo juncto permulta ſunt ornamenta, multæque figuræ, partim Principe *Foſcari*, partim *Moro* appoſitæ anno 1462.

Elegantiſſimæ Palatii frontis ex parte interiori in area ſuper Canalem, opus eſt ab *Antonio Bregno* Architecto celeber. Principe *Marco Barbadico* inceptum, quod morte prærepto eo frater *Auguſtinus* complevit.

In ſcalæ ſummitate invenitur ambulacrum totum circumdans Palatium, excepto latere, quo unitur Templo; ipſo in initio poſt ſcalam legitur in pariete memoria adventus *Henrici* III. *Galliæ* Regis in Urbem *Venetam.* his verbis;

HENRICVS III. GALLIÆ REX, ET I. POLONIÆ CHRISTIANISS. ACCEPTO DE IMMATVRA CAROLI IX. GALLIÆ REGIS FRATRIS CONIVNCTISSIMI, MORTE TRISTI NVNCIO E POLONIA IN FRANCIAM AD INEVNDVM REGNVM HÆREDITARIVM PROPERANS, VENETIAS ANNO SAL. MDLIV. XIV. CAL. AVGVSTI ACCESSIT. ATQVE AB ALOYSIO MOCENIGO SERENISSIMO VENETIARVM PRINCIPE, ET AB OMNIBVS HVIVSCE REIPVB. ORDINIBVS, NON MODO PROPTER VETERIS AMICITIÆ NECESSITVDINEM, VERVM ETIAM OB SINGVLAREM DE IPSIVS EXIMIA VIRTVTE, ATQVE ANIMI MAGNITVDINE OPINIONEM, MAGNIFICENTISS. POST HOMINVM MEMORIAM APPARATV, ATQVE ALACRI ITALIÆ PROPE VNIVERSÆ, SVMMORVMQVE PRINCIPVM PRÆSERTIM CONCVRSV EXCEPTVS EST. AD CVIVS REI, GRATIQVE REGIS ANIMI ERGA HANC REMP. MEMORIAM SEMPITERNAM, SENATVS HOC MONVMENTVM FIERI CVRAVIT. ARNOLDO FERRERIO SECRETIORIS CONSILII PARTICIPE, REGIO APVD REMP. LEGATO, ID ETIAM POSTVLANTE.

Hujus in ambitu Aulæ, ac Collegia Magiſtratus, de quibus ſupra diximus, inveniuntur. Inveniuntur pariter aliæ tres ſcalæ, qui-



Cortille del **PALAZZO DUCALE.** Aula PALATII DUCALIS. *La Cour du* **PALAIS DUCAL.**

44.



Facciata interiore del **PALAZZO DUCALE.** Frontispicium interius PALATII DUCALIS. *Façade interieure du* **PALAIS DUCAL.**

Architectura Antonii Bregno.

quibus ad Ducis Hoſpitium, ac Majorum Conſiliorum Conclavia aſcenditur, quæ innumeris, pretioſiſſimiſque ſunt repleta picturis.

Hæ profectо picturæ majori, aut breviori methodo, deſcribi non poterant, ac *Franciſcus Boſchinus* (a quo parum, aut nihil diſcedimus) deſcribit.

Igitur poſt Giganteam ad ſcalam auream, quæ ducit ad Collegium, greſſus dirigamus, e cujus lateribus maximè ſunt obſervatione dignæ picturæ miſcellaneæ, variæque hiſtoriæ inter gypſi anaglypha depictæ a *Baptiſta Franco Semolei* dicto. Ubi venerimus in parvam aulam, videbimus in parietibus quatuor tabulas; quarum prima continet *Vulcanum* cum *Cyclopibus* fulmina elaborantem. Secunda *Mercurium* habet ac tres Nymphas *Gratias* ſcilicet. Tertia *Palladem Martem* expellentem ad abundantiam, pacemque ſervandam. Quarta *Arianam* a *Venere* coronatam ſtellarum diademate, quam *Bacchus* alloquitur.

Lacunar habet Picturam exhibentem S. *Marcum*, *Venetias*, ac Juſtitiam, quæ gladium, ac ſtateram Duci *Hieronymo Priuli* porrigit; circum hanc variæ ſunt hiſtoriæ, & in angulis quatuor infantes, quæ omnia egregie depinxit *Tintoretus*.

Tranſeamus hinc in aulam, quæ a quatuor portis nomen deſumpſit; ubi ut picturis omnibus non ſine admiratione fruamur, dirigamus ad ſiniſtram oculos, ibi videbimus Virginem cum Puero, S. *Marina*, S. *Sebaſtiano*, Angelo Citharam pulſante, ac S. Mariam Virginem monſtrante Duci *Marino Grimani*; opus profecto celeberrimum *Joannis Contarini Rodolphi* II. Imperatoris Equitis fuit.

Poſt feneſtras, quæ ad aream proſpiciunt, habemus Sereniſſ. Ducem *Legatos Veneti* Dominii audientem in Collegio. opus *Caroli Calliari* magni *Pauli* filii erat.

Poſt Collegii Portam invenitur depictus adventus *Henrici* III. *Galliæ* Regis; ubi videtur idem Rex e triremi deſcendens; cui Dux *Mocenicus* ac Patriarcha *Treviſanus* fiunt obviam, illumque ad Regiam Navim conducunt; ubi videntur innumeri homines, milites, ac naviculæ; opus inſigne *Andreæ Vincentini* fuit.

Videtur deinde Dux pleno Collegio excipiens *Perſarum* legatos, quorum verba interpres his, qui ſunt a ſecretis refert; adeſt magnus adſpicientium numerus; ubique videntur legatorum famuli, varia munera Sereniſſ. explicantes. Opus ſanè omni dignum laude *Caroli Calliari* fuit.

Tranſeamus feneſtras, quæ vergunt ad Canalem, cruentam viſuri pugnam; ubi inter conflictantes videtur miles nudis brachiis & ſtricta haſta ſtrenuè pugnans, eſtque effigies Auctoris *Joannis Contareni*.

Post hanc sicut gradu, ita & admiratione procedamus oportet; sequitur enim fidei simulacrum tribus angelis sociatum, ad cujus pedes S. *Marcus* ac Dux *Grimani* vestibus splendidissimis amictus, adorantes, aliique milites. Opus insigne *Titiani* fuit.

Ad spatium replendum, cum hæc tabula alii situi elaborata, ac post palatii incendium hic apposita, non sufficeret, ipsi adjunctus est Propheta, ab uno latere, ac Signifer ab altero, qui ejusdem *Titiani* opera fuerunt.

Laquear habet tot gemmas, quot lineas, aureo *Tintoreti* penicillo expressas.

Primo quidem in medio videtur Urbs *Veneta* a *Jove* super *Adriaticum* sinum adducta, assistentibus pariter ad novæ urbis fundationem Diis, aliisque propitiis Planetis.

Deinde Carceres versus eædem *Venetiæ* videntur jugum fractum, ac dissolutas catenas manu tenentes, cui urbi variæ sociantur virtutes, quarum una pileum hastæ impositum tenet ad libertatem denotandam, cui subest Invidia a serpentibus laniata; hoc opus optimè noscitur inferiori penicillo restauratum.

Alia itidem rotunda pictura, ex parte areæ continet *Junonem Venetiis* Pavonem exhibentem aliamque Deam fulmen, ad majores ostendendas urbis dignitates.

Aliæ octo ovatæ picturæ symbola continent subditarum civitatum; utpote Amphitheatrum designans *Veronam*, *Bibliothecam Patavium*, Arma *Brixiam*, Coronam *Istriam*, Privilegia, nummos ac Ensem in cuspide *Tarvisium*, Gladium in vagina *Forum Julii*, fructum *Vincentiam*, Antiquitates &c. *Altinum*.

Canalem versus aderant (quæ nunc pænè videntur) *Venetiæ*, tanquam Maris Regina desponsata *Neptuno*.

Alio in latere e regione aream versus videntur *Venetiæ* orbi innixæ, tanquam statuum suorum optima conservatrix.

Ingrediamur modo anterius Collegii conclave; ibi videbimus per gyrum tribus in partitionibus; primò super Collegii portam *Mercurium* ac *Pallada*, mox *Jovem* ac *Pomonam*; tandem fortunam ac silentium opera *Montis Medii*.

Sequens laquear habet Venetam Urbem, in qua optima structura, ubi stant variæ hominum figuræ, ac puer duo fructibus cornua ad abundantiam denotandam, plena exhibens; sicut & in aliis partitionibus aliæ a *Paulo Veronensi* picturæ.

Lustremus modo Regium Collegii Conclave, statim post ingressum ad sinistram habemus *Venetias* sceptrum manibus tenentes, & super nubes aliquot virtutes, scilicet Justitiam, Fortitudinem, ac statuam in angulo, opus *Caroli Pauli* filii fuit.

Caminum varia miscellanea ornamenta decorant, quæ sunt a *Paulo Veronensi*.

Super Thronum adest in Cœlo Salvator, multis Angelis circumdatus, S. *Justina*, Fides, ac *Venetiæ*; in plano verò *Sebastianus Venierius* summè strenuus armorum contra *Turcas* Imperator, qui genua ante Salvatorem flectit, adest & effigies *Augustini Barbadici* Provisoris ex *Paulo Veronensi.*

Ad hujus latera stant S. *Justina*, ac S. *Sebastianus*, ex eodem *Paulo Veronensi.*

In parietibus quatuor sunt tabulæ. Prima post prædictam habet Ducem *Aloysium Mocenicum* Salvatorem adorantem; postea S. *Marcus* est, aliique sancti Urbis *Venetæ* Protectores, ac duorum *Mocenicæ* familiæ Senatorum effigies. Secunda habet B. Virginem augusto sub conopêo ab Angelis elevato, ad cujus pedes pronus adorat *Nicolaus* de *Ponte* Dux, ibi etiam S. *Marcus*, S. *Nicolaus*, & S. *Antonius*; & prope *Mariam* sanctus *Joseph*. Tertia continet B. Virginem cum Puero, B. *Catharinam* annulo desponsantem; adest & Dux *Donatus* in societate S. *Marci*, ac S. *Francisci*; adsunt insuper Prudentia, ac Temperantia, hujus Principis singulares virtutes. Quarta super majorem portam continet Beatam Virginem in Throno sedentem cum Puero, S. *Marina*, aliisque sanctis, ac flexis genibus *Andrea Gritti*, qui fuit in *Patavino* bello ad arma Provisor, dum S. *Marinæ* die *Patavium* fuit a *Venetis* occupatum; quæ omnes sunt mirabili *Tintoreti* penicillo.

Circa Horologium sunt aliquot ejusdem *Tintoretì* figuræ.

Elevemus modo oculos ad Lacunar, vel ut melius dicam ad Cœlum, nam tale dici potest ob Cœlestes picturas, quas *Paulus* naturæ æmulator ac victor elaboravit.

Videntur enim tres partitiones, quarum prima super Thronum continet *Venetias*, quibus Justitia gladium, Pax olivæ ramum porrigit; ad denotandum, non tam justitiam requiri, quam pacem ad Reipublicæ conservationem; aureis Characteribus sic subscriptum est: CUSTODES LIBERTATIS.

Media videtur Fides Cœli magnitudinem contemplans; ubi inferius videtur signum Religionis sacrificium, supra quod sic legitur: NUNQUAM DERELICTA; infrà vero: REIPUBLICÆ FUNDAMENTUM.

Tertia habet *Neptunum*, ac *Martem*, variosque infantes, arma, ac Cochleas tenentes, signum Maritimi Dominii ac Terrestris; ita subscribitur: ROBUR IMPERII.

A dictarum tabularum lateribus octo in tabellis videntur virtutes optimo regimini propriæ: id est, Fidelitas, Eloquentia, Concordia, Vigilantia, Silentium, aliæque historiæ; & ne in longum protrahamur, sufficiat dicere totum lacunar fuisse opus *Pauli.*

Post ingressum portæ majoris ad sinistram invenitur primò Pax; deinde Beata Virgo, Sanctus *Marcus*, S. *Petrus*, S. *Ludovicus*, ac Dux *Lauretanus* genua flectens, & a distanti videtur D. *Marci* forum; quæ omnia *Tintoreti* opera fuerunt.

Sequuntur super aliam portam *Venetiæ* sceptrum habentes in dextra, & Dux *Lauretanus*, quem sequitur Leo, Europa armata Tauro insidente; ubi in aëre duo Angeli olivæ coronam *Venetiis* imponentes, assistente pace, ac abundantia. E longinquo videtur *Patavium* primò recuperatum.

Deinde in alia, quæ sequitur, pictura videtur Dux *Ciconia* ante Redemptorem comitante D. *Marco*, quem sequuntur Fides, Justitia, & Pax se osculantes; & Juvenis quidam *Candiam* Insulam repræsentans; prope quam labyrinthus, ac statua eidem Sereniss. *Candiæ* erecta.

Ultima picturarum in capite Aulæ habet Ducem *FranciscumVenierium* ante *Venetiarum* simulacrum sub Regio Throno, cui aliæ Civitates munera deferunt; in aëre S. *Marcus* est, ac S. *Franciscus*. In angulo alia pictura; quæ omnes *Palmæ* virtutem testantur.

Super Thronum videtur *Christus* mortuus, quem Angeli sustinent, ubi S. *Sebastianus*, S. *Antonius* Abbas, S. *Joannes* Euangelista, S. *Dominicus*, aliique sancti, ibi & Dux *Petrus Lauretanus*, & *Marcus Antonius Trevisanus*, Redemptorem adorantes.

E lateribus duæ aliæ figuræ; opera omnia egregia *Tintoreti* penicilli fuerunt.

Inter fenestras Canalem prospicientes adest pictura, in qua S. *Laurentius Justinianus* creatur Patriarcha, pluribus aliis assistentibus Episcopis ac sacerdotibus, aliarumque gentium multitudine; a schola *Marci Titiani*.

In Aulæ capite super portam videtur in aëre Redemptor, B. Virgo, S. *Marcus*, & Angeli, in plano verò Sereniss. Duces *Laurentius*, ac *Hieronymus Priuli*, iidemque sancti; & a lateribus Prudentia, ac Justitia, a Jacobo *Palma*.

Consideremus modo Lacunar & primo super portam Monetariam officinam, ubi Ministri illius, & operarii aureis virgulis, monetis, aliisque ad illam pertinentibus instrumentis sunt onusti; & a lateribus aliquot hieroglyphica; opera *Marci Uccelii Titiani* dicti.

In media ampla tabula videtur *Veneta* Respublica Throno insidens: cui, jubente *Mercurio*, *Tritones*, & *Nereides* Cochlearum, Coralliorum, ac Margaritarum, pretiosissima offerunt dona, tanquam Maris Reginæ; opus excellens *Tintoreti* fuit.

E lateribus, & primo super portam, quæ ducit ad Collegium videntur plures Fabri incudem percutientes, & in angulis aliquot arma-

armati ferreo Thorace, ſcuto, & haſta milites, aliaque ſymbola; *Andreæ Vincentini* opera facta ſunt.

Alio in latere Dux inter Conſiliarios, eſt opere *Antonii Allienſis* factus, ſicut & duo Philoſophi in vicinis angulis.

In alio Lacunaris Capite ſuper Tribunal videtur ſuper Altare Calix, cui impoſita eſt hoſtia, ſymbolum Euchariſtiæ, multis aſſiſtentibus Prælatis ac ſummo Pontifice thura offerente, & Sereniſſ. Duce *Ciconia* innumeriſque Senatoribus orantibus, ubi hæc verba leguntur: TUTELA *R. P.* opere cujuſdam *Allienſis* Diſcipuli, *Dolabellæ* dicti, depicta fuerunt.

Duobus in angulis ſunt duæ mulieres a *Tintoreto.*

In aditu ad parvum Oratorium Senatus videtur ſuper portam, *Chriſtus* a mortuis reſurgens a *Tintoreto.*

In Templo videtur *Chriſtus* in *Emmaus*, cum Apoſtolis cœnans, opere *Titiani.*

Hujus in lateribus hinc *Pharaonis* ſubmerſio, inde Redemptor in Limbo; videntur opera qualitate conſpicua, etſi mole parva, Scholæ *Titiani.*

Super portam adeſt B. Virgo cum Puero, & S. *Marcus* pro Principe exorans, & altera ex parte S. *Joannes Baptiſta.* Opus *Vincentii Catenæ* fuit.

Tranſeamus modò in aditum, qui ad aulam Excelſi X. Conſilii ducit; ubi videbimus 15. tabellas, in quibus variæ Chimæræ, ſomnia, viſiones, aliaque ficta quæ ſunt opera *Civettæ* depicta.

Adeſt inſuper alia tripartita tabella, ubi videtur quædam ſancta Cruci affixa, aſpicientibus pluribus, inter quos quidam ſenſibus deſtitutus cadens a multis ſublevatur. Opus *Hieronymi Baſſi* fuit.

Intremus modo Excelſi Conſilii Conclave mirabilibus ornatum picturis, & primo videbimus in pariete atrium excellentiſſimorum ejuſdem Conſilii Capitum verſus tabulam, in qua Clemens VII. Pontifex, *Carolus* V. Imper., Cardinales ac Principum Legati, *Italiæ* pacem componentes; hæc etiam exhibet *Bononiæ* Civitatem cujus Forum cum Templo S. *Petronii* in diſtanti videtur. Opus *Marci Uccelii* dicti *Titiani* fuit.

Sequitur ſuper Thronum Magorum viſitatio; opus egregium *Antonii Allienſis* erat.

Altero in latere adeſt Dux *Sebaſtianus Ziani*, qui victo *Federico Barbaroſſa* victor *Venetias* revertitur; cui occurrit Papa *Alexander* III. qui ei dedit annulum ad mare deſponſandum; hæc hiſtoria figuris abundat, inter quas effigies Auctoris, *Leandri Baſſani.*

Sunt inter feneſtras tres pugnæ, ab *Allienſe.*

La-

Laquear in novem partitiones dividitur; in quarum media ovata figura a *Paulo Veronensi*, in qua videtur *Jupiter* fulmina mittens in vitia, quæ secundum quosdam sunt delicta ad hoc excelsum consilium spectantia; & post *Jovem* Angelus librum scriptum tenens, qui ejusdem Consilii decreta figurat.

Aliæ tres partitiones, prope fenestras, id est, duæ ovatæ in angulis, & alia oblonga in medio.

In prima ovata prope portam, quæ ducit ad scrutinium Excelsi Consilii capitum *Janus* adest, & Jupiter a *Baptista Zilotti* Veronensi.

Oblonga verò inter ovatas exhibet *Ven.* Remp. *Martem*, ac *Neptunum*, eodem Auctore.

Alia ovata, in qua *Neptunus* super currum ab hippopotamis tractum, est a *Bazacco* a *Castro Franco*, qui fuit postea Presbyter.

Revertamur modo ab eadem parte, quæ ducit ad scrutinium, videbimus *Junonem* e Cœlo gemmas, regias Coronas, aurum, Ducis cornu, *Venetæ* Reip. illa acceptanti mittentem, opus *Pauli* fuit.

Inferior videtur eadem Respublica globo insidens pedes super Leonem, ac sceptrum manu stringens, e *Baptista Zilotti*.

Sequitur super tribunal & eadem Respublica Cœlum admirans Deorum sedem, e prædicto *Zilotti*.

Transeamus ad alium angulum, ubi alia in tabula ovata super idem Tribunal videbimus pulcherrimam Virginem junctis manibus, ac submisso capite terram aspicientem, & senem dextro brachio caput sustinentem *Persico* more ornatum. opus *Pauli* erat.

Est & alia oblonga tabula, in qua videtur *Mercurius* pacem alloquens; opere *Bazacchi* a *Castro Franco*.

Sunt & circa majorem ovatam quatuor figuræ, quarum tres a *Paulo*; alia quam sequitur Leo fenestras versus, a *Bazaccho* est.

Aliarum verò tabularum ornamento sunt & aliæ minores figuræ; quarum tres circa tabulam, in qua Juvenis, Virgo, ac Senex, sunt a *Paulo*; aliæ novem a *Bazaccho*.

Super Parietis tabulas per gyrum varia ornamenta, & varii sunt infantes e *Zilotti*.

Ingrediamur postea scrutinii Aulam, ubi incipientes super portam, quæ ducit ad Aulas Consilii x. videmus aliquot homines Claves Urbis offerentes *Veneto* Imperatori. Heic figurari creditur gens *Feltrina*, quæ claves ultro exhibuit Imperatori *Bartholomæo Nani*, Duce *Michaële Steno*, opere *Alliensis*.

In prospectu e regione fenestrarum adest B. Virgo, & Angelus, ac S. *Marcus* assistentes Sereniss. *Leonardo Donati*. Opus *Marci Uccelii* dicti *Titiani* fuit.

Ejus-

Ejusdem auctoris est tabula e regione tabulæ *Alliensis*; in qua videntur alia *Venetorum armorum* facta.

Laquear totum depinxit *Paulus Veronensis*. hoc sufficeret ad illud plenè commendandum.

In medio stat S. *Marcus* auream habens in manu Coronam; puerulus eum sustinet, aliusque librum habet post Leonem; pluresque Angeli; & inferiores Theologicæ virtutes.

Undique plures historiæ viridi colore adumbratæ: duæque victoriæ anaglyphis descriptæ.

In supremo Excel. Cons. X. videntur quinque in Lacunari partitiones; in media stat Angelus vitia expellens; videntur ibi mulieres fugam arripientes, aliæque dona offerentes; ubi adest & tempus; opus *Pauli* fuit, sicut & aliæ duæ; quæ supersunt vero, id est una in dextro tribunalis angulo, est a *Bazaccho*; alteraque in angulo prope portam, quæ ducit ad Advocatorum conclave, est a *Zilotti*; in his omnibus symbola continentur supremæ hujus Consilii Excelsi auctoritatis.

Eodem in Conclavi super Tribunal *Christus mortuus* in monumento, quem multi Angeli sustinent. Est opere *Antonelli Messanensis*; qui primus artem oleo pingendi *Venetias* introduxit.

Super tres portas tres sunt tabulæ, una continet *Christi* apparitionem *Mariæ Magdalenæ* factam; altera Christum sublatum in crucem, tertia adscendentem *Calvariæ* montem, quæ sunt *Francisci Bassani* opera.

In prospectu e fenestrarum regione *Christus Hebræis* ostenditur, ab *Alberto Duro*.

In medio Tribunali B. Virgo cum Puero e *Joanne Bellino*.

E parte areæ super Cancellos Scribarum aut qui a secretis sunt, duæ sunt tabellæ a *Civetta*, quarum una S. *Joannem* Apocalypsin scribentem, altera *Christi* miraculum habet.

Post ascensum aliquot graduum transeamus in posterius Cubiculum Excell. hujus Tribun. Capitum, ubi habemus Lacunar a *Tintoreto* integre depictum, in quo quinque partitiones; quarum prima habet convivium in distanti, & quatuor principaliores figuras. Cæteræ quatuor habent Fidem, Justitiam, Fortitudinem, ac Civilitatem; opus insigne auctoris habitum est.

Super Tribunal adest B. Virgo cum Puero ludente cum Angelo, quod habetur opus *Raphaelis Urbinatis*.

Super portam verò est tabella, quæ B. Virginem, Puerum, ac S. *Sebastianum* habet, ac S. *Marcum*; e *Gambarotto*.

In aula vel si mavis in anteriori atrio, adest S. *Justina* ex *Alliense*.

In egressu ejusdem super portam, adest B. Virgo cum Puero, S. *Ma-*

S. *Maria Magdalena*, S. *Joanne Baptista*, S. *Catharina*, & quodam genua flectente; opus *Palmæ* senioris fuit, & testamento relictum a Nobili Matrona *Maria Priuli.*

Altera in aula anteriori sunt duæ a Bassano tabellæ, quarum una habet *Christi* nativitatem, altera ipsius mortem.

Postea descendamus scala & ingrediamur aditum inter Majus Consilium, ac Senatum 40. Civ. Vet. super Portam hujus Magistratus videbimus *Christi* transfigurationem in Monte *Thabor*, ubi *Moses* & *Elias*, & infra tres Apostoli; a tabulæ verò dextro latere videtur S. *Justina* mulierem armatam alloquens, ubi multitudo maritimæ gentis; opus excellens *Dominici Tintoreti* fuit.

A sinistro verò latere adest Sereniss. *Joannes Bembus* genua ponens, cui angeli assistunt, quorum unus in aëre Coronam Ducis ipsi porrigit. Adest ibidem Resp. *Veneta* sociata Leoni, & sceptrum manu stringens. Adsunt *Terra*, ac *Neptunus* ambo duo tenentes baculos, ad duplicem indicandam Terræ Marisque Imperatoriam potestatem, quam præfatus Princeps exercuit; adest & Abundantiæ symbolum.

E regione adest B. Virgo cum Puero *Iesu*, S. *Marco*, S. *Antonio* Abbate, S. *Rochio*, S. *Nicolao*, ac Duce *Marco Antonio Memio*, qui genua flectit ante B. Virginem. Postea sunt variæ Urbes, ut *Patavium*, *Vincentia*, *Verona*, *Brixia*, *Bergomus*, *Palma* aliæque, quæ denotant ejusdem Principis imperia peracta; opus *Palmæ* fuit.

A lateribus sunt duæ figuræ duobus in loculis, Religionis scilicet, & concordiæ.

Ingrediamur modò Senatus 40. Civil. Vet. aulam; ibi in amplissima tabula videbimus primo æternum Patrem, inter angelorum Choros, ab una parte Rempublicam *Venetam* Regio Throno insidentem, cui multi supplices libellos porrigunt; ubi adest & *Mercurius* nudos aliquot captivos adducens; & plurium nobilium effigies, e *Petro Malumbra.*

Porta egrediens, suprà videbis assidentem Throno Rempub. ante quam Virgo, post quam fides, Charitas, cæteræque virtutes, inter quas adest Justitia stricto ense vitia fugans; & puer stateram librans, ubi plures adstant.

Tempus est modò, ut Regiam Magni Consilii ingrediamur aulam, ubi celebriora Orbis penicilla describentia Sereniss. Reipub. gesta, de gloria certant.

Incipiamus a dextris post ingressum ubi *Alexander* Papa 3. a Duce *Ziani*, ac Sereniss. Senatu in Monasterio Charitatis tanquam legitimus Pontifex agnoscitur; opus hæredum *Pauli Calliari* fuit.

Secundò videtur idem Pontifex Ducem rogans ut legatos ad *Federicum* Imperat. mittat: ex eisdem hæredibus *Pauli Calliari.*

Ter-

Tertiò ſuper primam feneſtram habemus eundem Pontificem, candidum Cereum Duci ac Senatui donantem; opus *Leandri Baſſani* fuit.

Videntur poſtea Legati *Venetæ* Sereniſſ. Reipublicæ pacem a *Federico*, cum *Romano* Pontifice expoſcentes; ex *Tintoreto*.

Sequitur poſtea idem Pontifex gladium Duci *Triremem* conſcenſuro in ripa D. *Marci* præbens, ut Federico Imperatori occurrat, à *Franciſco Baſſano*.

Super ſecundam feneſtram habetur gentium multitudo obſervantium Ducem decedentem ex Urbe. *Paulo Flandrico* auctore.

Deinde habemus inſignem Navalem victoriam a *Veneta* Claſſe *Pirani* in *Iſtria* reportatam, ubi videtur *Otho* Imperatoris filius inter captivos ad Ducem adductus. Opus *Dominici Tintoreti* fuit.

Super portam, quæ ducit ad Scrutinii aulam, videtur Dux *Othonem* Imperatoris tertium natu filium Pontifici offerens; ex *Andrea Vincentino*.

Habetur continuatio ejuſdem hiſtoriæ alia in tabula, ubi habetur Pontifex *Othonem* dimittens, ut eat ad patrem bellumque componat. Ex *Palma*.

Quæ ſequitur tabula exhibet præfatum Imperatorem *Federicum* in Templo D. *Marci* genua flectentem & Pontificis pedes oſculantem. Opus *Federici Zuccati* fuit.

Super Portam Senatus 40. Civ. Novi habentur Pontifex & Imperator *Anconam* pervenientes, quibus *Anconæ* Cives obviam occurrunt duabus cum umbellis, una nimirum pro Imperatore, pro Pontifice altera, quam Pontifex Veneto Duci dedit; ad cujus rei memoriam, ſolemnibus diebus Dux umbella utitur. Opus *Hieronymi Gambarati* fuit.

Tabula verò in angulo plateam verſus, exhibet *Romanum* Pontificem in Templo S. *Joannis Lateranenſis* tria vexilla, Album ſcilicet, Rubrum, ac Cœruleum, ac Tubas aureas, Pulvinar, ac ſellam auream Duci *Veneto* donantem, ut iis ſolemnibus diebus uteretur. Opus *Julii* de *Moro* erat.

Retrocedamus modò, ſi placet, uſque ad ejuſdem aulæ portam, ut ordinatius omnia perpendamus. Primo videbimus in angulo minorem plateam verſus, Ducem *Henricum Dandolum*, Sereniſſimum Senatum, ac Equites Cruce ſignatos fœdera Sacramento firmantes pro recuperatione *Conſtantinopolis*, ac *Zaræ*. Opus *Joannis Chere Lotharingii* ad ſupplementum alterius ex *Tintoreto* fuit.

Poſt primam feneſtram videtur Urbs *Zara* terra marique oppugnata, ex *Andrea Vincentino*.

Super ſecundam feneſtram Zaræ Populi videntur Crucem Claveſque urbis Duci exhibentes. E *Dominico Tintoreto.*

Sequitur quarta tabula continens *Alexium Iſaacii Commeni Græcorum* Imperatoris filium a Patruo fugientem, qui Patre in vincula conjecto Imperium occuparat; hic Duci *Veneto* Literas teſtimoniales exhibet, ac auxilium exorat, ex *Andrea Vincentino.*

Quinta, quæ ſequitur tabula, habet *Venetos* milites, ac Cruce ſignatos Equites *Conſtantinopolim* oppugnantes, cujus populi perterriti Latinis ſui urbiſque deditionem faciunt. e Palma.

Inter ultimam, ac penultimam feneſtras videtur *Byzantium* ſecundùm ob *Græcorum* tyrannidem in *Alexium*, quem poſt Patris mortem trucidarant, juſſu *Alexii Tyranni* ejectis Latinorum Legatis, ruptoque fædere expugnatum, a collectis *Venetorum*, aliorumque fœderatorum viribus; tuncque accepta eſt B. M. Virg. imago a S. *Luca* depicta. Quam hiſtoriam deſcribit mirabile *Dominici Tintoreti* penicillum.

Septima ac ultima tabula continet Latinorum congreſſum *Conſtantinopoli* in Templo S. *Sophiæ* ad novum Imperatorem eligendum congregatum; in quo Dux *Dandolus* omnium conſenſu electus, at melius ducens inſervire Patriæ Imperium recuſat, quare ad eligendum *Balduinum Flandriæ* Comitem concurrit. Opus *Andreæ* Vincentini, deficiente altero *Franciſci Baſſani.*

In angulo prope primam feneſtram Forum verſus, *Franciſcus Baſſanus Balduini* coronationem depinxerat ab electoribus factam; quæ hodie defectu tabulæ *Baſſani*, habetur ex *Allienſe.*

In ſpatio inter duas feneſtras ejuſdem proſpectus e regione Tribunalis habetur victoria de *Genuenſibus* a Duce *Andrea Contareno* reportata. E *Paulo Veronenſi.*

E regione hujus adeſt *Thronus* Sereniſſ. Senatus, ſuper quem adeſt ampliſſima Paradiſi pictura, quæ ita eum repræſentat, ut verum potius, quam pictum diceres ſi oculis fideres; hujus picturæ excellentiam, omni *Tintoreti* ſtudio mirabilem, minuerem potius, quam augerem, ſi verbis conarer exprimere, melius ergo tacendam duxi.

Celeberrimorum in arte pictoria virorum facta haud nauſeam faciunt, accedamus ergo prope feneſtras, quæ reſpiciunt parvum forum, S. *Georgii* Majoris inſulam verſus; elevatiſque ad Lacunar oculis conſideremus mirabilia in tribus picturarum ordinibus ibidem contenta.

Incipiendo igitur primum ordinem in angulo ejuſdem lacunaris videbimus Urbem *Scodram* Turcicis Copiis oppugnantibus reſiſtentem aſſiſtente *Mahometh* eorum Rege; ibique exprimitur valor

lor *Georgii Scandebergh Epirotarum* Regis, ac *Antonii Lauretani*, illius Urbis in *Albania* Gubernatoris, qui *Mahometh* non ſine magno ipſius detrimento expellunt. Opus magni *Pauli Veronenſis* fuit, cui appoſitum eſt hoc elogium:

SCODRA BELLICO OMNI APPARATV, DIV, VEHEMENTERQVE A TVRCIS OPPVGNATA, ACERRIMA PROPVGNATIONE RETINETVR.

Sequitur deinde profligatio per *Damianum Morum Ferrariæ* Ducibus illata, videnturque illatis facibus ardentes turres; expreſſa a *Franciſco Baſſano*; quibus inſcribuntur hæc verba:

DVOBVS PRINCIPIS ATTESTINI LIGNEIS CASTELLIS INCENDIO DELETIS, INSANA TERTII MOLES IN VRBEM ADVEHITVR.

Sequitur hiſtoria a *Jacobo Tintoreto*, videturque victoria de *Ferrariæ* Duce a *Victorio Superantio* reportata eodem anno ibique ſic legimus:

PRÆLIO, ET NOBILITATE, ET MVLTITVDINE CAPTIVORVM INSIGNE; AD ARGENTAM ATESTINVS PRINCEPS SVPERATVR.

Sequitur victoria a *Jacobo Marcello* de *Aragonenſibus* reportata; ab eodem *Jacobo Tintoreto* expreſſa. in qua hæc habentur:

ARAGONIA CVM SOCIIS, TOTIVS ITALIÆ ARMIS INTERITVR, GALLIPOLIS ADIMITVR.

Habetur poſtea victoria a *Georgio Cornelio* de *Germanis* reportata, & a *Bartholomæo* de *Alviano*. Opus *Franciſci Baſſani* erat & ibi legitur:

NEC LOCI INIQVITATE, NEQVE INSVPERABILI PENE NIVIVM, ARCENTVR VENETI AB INFERENDA GERMANIS CLADE.

In ultima hujus ordinis pictura habetur expugnatio *Patavii* per *Andream Gritium*, ac *Franciſcum Diedo* Proviſores, a *Palma* depicta, apponuntur hæc verba:

GRAVISSIMO AB VNIVERSA EVROPA BELLO RESPVBLICA PRESSA; PATAVIVM DIMISSVM, QVADRAGESIMO POST DIE, VNO ADITV, IMPETVQVE RECVPERATVR.

Incipiamus modò alium a parte areæ ordinem, medium deinde tanquam optimum ultimò perpenſuri. A dextris igitur Throni videmus *Smyrnam* expugnatam a *Petro Mocenico*. Opus *Pauli Veronenſis* fuit; in quo legitur:

AD CÆTERAS VASTATIONES, DIREPTIONESQVE ASIATICAS, CLASSIS VENETA SMIRNAM EXPVGNAT.

Sequitur victoria de *Franciſco Maria Vicecomite* a *Venetis* patrata, a *Franciſco Baſſano* expreſſa, ubi leges:

PEDITE IN EQVOS ACCEPTO TRANAT PADVM
EQVVS VENETVS, ATQVE INSVBRES FVNDIT.

Proxima pictura non minus *Tintoreti* induſtriam indicat in pingenda, quam *Venetorum* in comparanda de *Inſubribus* in *Benaco* Navali victoria a *Stephano Contareno* depicta, hiſque verbis declarata:

INSVBRVM IN BENACO, DISIECTA CLASSIS, VERTIT IN FVGAM DVCES, SVPERIORIBVS VICTORIIS, MAGNISQVE REGIBVS CAPTIS EXVLTANTES.

Magis ac magis admirabilis redditur *Tintoreti* ars, *Brixiensem* victoriam per *Franciscum Barbarum* reportatam, exprimens. cui hæc verba sunt apposita:

CALAMITOSISSIMA EX OBSIDIONE CONSILIO IN PRIMIS, MVLTIMODAQVE PRÆFECTI ARTE BRIXIA SERVATA.

Sequitur postea victoria de *Vicecomite Mediolani* Duce per *Victorem Barbarum*, ac *Franciscum Carmignolam* armorum Reip. Duces reportata, quam egregie expressit *Franciscus Bassanus.* ubi sic habes:

VICTI AD MACLODIVM INSVBRES AD CÆTERAM VIM CAPTIVORVM INGENTEM, IPSE ETIAM BELLI DVX IN POTESTATEM ADDVCTVS.

Habetur deinde *Franciscus Bembus* cum copiosissimo exercitu *Padum* ingressus, ac post varia armorum facta, *Cremonam* expugnans. Opus *Palmæ*, his verbis notatum est:

AMPLISSIMVS CVM SPOLIIS FLVVIATILIS AD CREMONAM DE INSVBRE REFERTVO VICTORIA.

Et quoniam secundum perlustravimus ordinem; tertium ac medium perpendamus oportet, in quo statim se oculis offert ovatæ figuræ tabula, in qua videtur Respub. *Veneta* Regio insidens Throno augusto sub conopêo, sceptrumque manu stringens, cui oleagineam Coronam imponit victoria; pedibus calcat Navis rostrum aliaque arma ac trophæa; ad quam adducuntur plurimæ subactæ Civitates, ac status, pluresque captivi catenis alligati gradibus ad pompam exprimendam videntur. In hac occupatum pictura non minus Reipubl. valor, quam *Palmæ* auctoris Spiritus in admirationem rapit.

In medio amplissima omnium habetur tabula a *Tintoreto*, in qua haud majorem posses admirari majestatem *Adriæ* Reginæ *Cybelæ* sociatæ ac Thetidi, (terræ Marisque signis) aliisque Numinibus in Cœlo, ubi super eminentes gradus videtur Serenissimus *Nicolaus* de *Ponte* comitante Senatu, *Veneta* insignia deferente, ad quem Respub. per alatum Leonem, *Oleagineis* ramis consertam Coronam mittit. Ibi etiam videntur plures Legati, Privilegia Clavesque Urbium in obedientiæ signum exhibentes.

Sistamus modò gradum, ad omnis pictoriæ perfectionis cumulum ac centrum contemplandum; in ovata enim sequenti plusquam humanum *Pauli* penicillum Paradisi pulchritudines brevi gyro conclusit. Videtur super nubes *Adriæ* Regina *Veneta* Resp. pulcherrimis ornata vestibus, quibus meliores excogitare humanum haud potuit ingenium, in medio duarum turrium consistens non dissimilis *Romæ*, fama concelebrata, gloria circumdata, ac nu-

numinibus circumſepta & triumphans. Honor, Pax, Abundantia, Gratiæ, cæteraque optimæ Monarchiæ ſigna, ei inſerviunt. Solum ornatur arcubus, columnis, ac duobus *Mercurii*, ac *Herculis* ſignis æneis. Ibique magnificum Podium, in quo populi multitudo, Matronarum, ac equitum ſtat, tantæ Majeſtatis obſequio; in plano armati equites Dominii defenſores captivos, ac ſpolia ferentes, ſub quorum pedibus arma confracta, ac vexilla; aliique aureis tubis victorias, triumphoſque decantantes videntur. Operis (quod veræ perfectionis dici poteſt Epilogus) complementum videtur alatus Leo Sereniſſ. Reipublicæ defenſor.

Aliis in partitionibus videntur plura alia virtutis ſpecimina variis temporibus viſa; in prima incipiendo a ſiniſtro Tribunalis latere minus Forum verſus, videtur grati animi exemplum, quod *Catharina Cornelia Cypri* Regina præbuit quæ poſt mortem Mariti Regnum per 16. annos gubernandum Reipublicæ dedit. Opus *Leandri Coronæ Muranenſis* fuit.

Sequitur Religionis ac Conſtantiæ exemplum *Albani Armarii* navis Præfecti; hic a Turcis captus, ne religionem amitteret, inter tabulas diſſectus mori maluit; expreſſum a *Franciſco* de *Monte Medio* fuit.

Deinde videtur a *Bernardo Contareno* expreſſum, conſtans propoſitum *Ludovicum* Sfortiam *Mediolani* Ducem interficiendi, tanquam univerſalis quietis perturbatorem; quod *Veneti* Proviſores non approbârunt.

In alia videtur Civitas *Norimbergh*, quæ renuens obedientiam præſtare *Maximiliano* Imperatori, ac in libertate conſtituta, leges ac regiminis regulas per legatos a Duce ac Senatu petit.

Propè adeſt expreſſa Reipublicæ Religio, quæ duriſſimo bello *Cambray* fœderato oppreſſa; auxilia a Bajazeth anno 1509. oblata recuſavit. opera *Longhi*.

In alia non diſtanti habetur martyrium *Marci Antonii* Bragadini, qui poſtquam invicta conſtantia *Famauguſtam*, etſi imparibus viribus defenderat, contra *Turcarum* impetus; tandem copiis ac commeatibus deſtitutus urbem dedere honeſtis conditionibus coactus eſt; quem *Barbarus Muſtapha Selim.* Imper. Dux contra invictum hunc virum, quod tam debilibus viribus ita longe reſtitiſſet, fidem contemnens, quam dederat, vivum juſſit excoriari anno 1570. expreſſum ab eodem *Longo*.

Deinde videtur fortitudo Ducis *Venierii*, in prælio ad *Echinadas* commiſſo contra *Turcas* anno 1571. expreſſa ab eodem *Longo*.

In alia ſuper picturam Ducis *Contareni* in Capite aulæ e regione Tribunalis inter *Palmæ* picturas habetur admirabilis Conſtantia

tia *Augustini Barbadici*, dum pugnans contra *Turcas* telo percussus oculum, quo vulnere interiit, non destitit milites ad pugnam incitare. Opus *Alliensis* fuit.

Ordinem sequentes a parte areæ usque ad Tribunal primo videbimus severitatem, quam Respub. in *Gordianum*, qui in bello contra *Aquilejæ* Patriarcham, *Venetum* exercitum prodere tentaverat, exercuit, e *Longo*.

Sequitur eodem auctore magnum pietatis exemplum *Petri Zeni*, qui anno 1344. post multa præclarè gesta capta Smyrna, in Templo Missæ assistens, nuncio inimicum exercitum non longe abesse referenti respondit; Divinum cultum humanis rebus esse anteponendum, interim a Turcis oppressus, cum suis prope altare occisus fuit.

Habetur item eodem auctore aliud audaciæ, ac Prudentiæ exemplum *Nicolai Pisani Venetarum* copiarum contra *Genuenses* Imperatoris anno 1358. Cum in *Sardinia* ab hostibus non sine periculo circumseptus; lumina remis stantibus accendi jussit, noctuque deceptis hostibus a luminibus suspectis securus naves eduxit.

Deinde *Venetarum* Mulierum Liberalitatem *Antonius Alliensis* expressit, quæ bello contra *Genuenses* anno 1380. aureis ornamentis se spoliantes Senatui offerunt, ad novas vires comparandas.

Habetur postea eodem Alliense auctore militare inventum *Caroli Zeni* armorum *Venetorum* Ducis, qui *Bucicaldo Genuensium* Duci occurrens fervente prælio hostis navem velo contegi jussit, quo perterriti hostes, victi magno suo detrimento fuere, variæque naves captæ.

Sequitur ex *Hieronymo Patavino* ars ducendi Triremes in *Benaco* bello contra *Vicecomites* anno 1439.

Deinde exhibetur Constantia ac fortitudo *Stephani Contareni*, qui post expugnatos *Vicecomites* in *Benaco* anno 1440. ita lapidibus aliisque armis oppressus fuit, ut, galea capiti infixa, ipsum paulatim oportuerit collimare; ipseque tantum dolorem omni patientia sustinuerit; expressa a *Leonardo Corona*.

Ultimò super Tribunal videtur restauratio, ac munitio *Esimili* in *Peloponneso*, ut *Turcis* resistere posset, eodem *Leonardo Corona* auctore.

Sunt super fenestras ejusdem aulæ aliquot virtutum symbola. In Coronide per gyrum habentur Ducum *Venetorum* effigies, quorum major pars est a *Jacobo Tintoreto* depicta.

Ingrediamur modò aulam Magistratus 40. Civil. Novi; ubi super Tribunal videbimus *Venetias* super Thronum sceptrum te-

nentes

nentes ad quarum pedes Leonem habemus; quæ Juſtitiæ ad ſiniſtram ſedenti itidem ſuper Leonem cauſas juſtas expediendas committunt, ac acceptanda Privilegia juſtaſque petitiones multorum populorum. opus *Antonii Follerii* fuit.

A dextris Tribunalis habetur Veritas, quæ Plateæ D. *Marci* Cornu Ducis imponit, quod multi angeli tenent, ibi ſunt multæ mulieres varia tenentes ſymbola, & Neptunus eandem Plateam monſtrans, uti & Juſtitia vitia expellens. Opus *Jo. Baptiſtæ Laurenzetti* erat.

A ſiniſtris item videtur Veritas, quæ a Fraude, Invidia, Avaritia, aliiſque vitiis abſcondita, & a tempore detecta Throno imponitur a Juſtitia. opere *Philippi Zanimberti.*

Accedamus modò per aditum, qui ducit ad Magnum Conſilium in Aulam Scrutinii, cujus aditus lacunar habet tres e *Camillo Ballino* picturas, quarum media habet *Venetias* coronatas gloria, aſſiſtente æterno Patre, S. *Marco*, S. *Juſtina*; hæ ſuis Pedibus captivos calcant; aliæque duæ *Palladem*, ac *Floram* denotant.

Hinc tandem pervenimus in ampliſſimam Scrutinii aulam; hîc obſervare licet poſt majorem portam a parte ſcalæ mirabilem victoriam ad *Helleſpontum* ſeu *Dardanellos* reportatam anno 1565. *Laurentio Marcello* armis imperante. opere Equitis *Liberi.*

Super primam feneſtram videtur Arx *Margaritini* capta ac deſtructa. Opus fuit *Petri Bellotti*, defectu alterius ex *Dominico Tintoreto.*

Secundam ſuper feneſtram habetur *Cattarus* capta, ab *Andrea Piſani.* Opus *Andreæ Vincentini* fuit.

Sequitur Tabula *Tintoreti* amplitudine non minus, quam artificio mirabilis, quæ continet *Zaræ* expugnationem, ita perfectè expreſſam, ut inter inſignia Auctoris opera merito habeatur.

Revertamur modò iterum ad Caput Aulæ, & a dextris Forum verſus incipiamus; ibi habemus *Venetias* obſeſſas a Pipino Rege *Italiæ Caroli* Magni Imperat. filio, quæ mirabili invento panes aliquot machinis in Caſtra hoſtium injecere, ut urbem adhuc victu oſtenderent abundantem; quo viſo, obſidione ſoluta, diſceſſit; quod fuit anno 809. Opus mirabiliter expreſſum ab *Andrea Vincentino.*

Sequitur in alia prope hanc tabulam victoria a *Veneta* Claſſe reportata de prædicto *Pipino*, qui ſoluta obſidione urbem tentavit magno impetu expugnare. Prælium commiſſum eſt in Canali, qui a tanta clade adhuc Canalis orphanus dicitur.

Poſt hanc habetur e *Sancto Peranda* alia, in qua videtur *Dominicus Michaël* Dux Ægyptium fundens exercitum, item *Marcus Barbarus* recuperatis viribus, ac ſignis in mare dejectis magnam faciens hoſtium cladem, *Saracenum* Præfectum capit, cujus pileum pro ve-

vexillo erexit, eique amputati brachii ſanguine circulum in vexillo appinxit, unde *Barbara* familia dicta fuit, quæ *Magadenſis* olim dicebatur.

Deinde habemus prope feneſtram Tyrum expugnatam; ubi videtur Dux *Michaël* prædictus Navium vela, gubernacula, ac alia inſtrumenta aſportari jubens in terram, ut animis tumultuantium imprimeret, aut vincendum, aut moriendum eſſe, ſicut verè evenit anno 1128. Opus *Antonii Allienſis* erat.

Ultimo inter feneſtram ac Senatum 40. Civ. N. videtur e *Marco Titiano* victoria a *Joanne Reinerio Polani* de *Rogerio* Rege *Siciliæ* anno 1148. reportata in auxilium Emanuelis *Byzantini* Imperatoris.

Super Tribunal ampliſſima in tabula habetur Univerſale Judicium. Opus mirabile *Palmæ* fuit. ſuper quod octo dimidii circuli Prophetarum figuras continentes ex *Andrea Vincentino*.

Habentur ſuper feneſtras varia trophæa; & primum a parte fori ſuper Tribunal eſt e *Marco Titiano*. ſecundum ex *Allienſe*, ſicut & tertium. quartum ex *Andrea Vincentino*; ſicut & cætera duo in parte Tribunali oppoſita.

Coronis ſupra quam ſtatutum eſt Laquear eodem ordine, ac in Aula Magni Conſilii videmus, habet effigies Principum *Venetorum* uſque ad hoc tempus.

Perpendamus modo Lacunaris picturas; primo in ovata ſuper Tribunal videtur egregie expreſſa *Patavii* expugnatio facta anno 1405. Proviſoribus *Carolo Zeni* & *Franciſco* de *Molino*, dum a *Carrarienſibus* tenebatur; a *Franciſco Baſſano*.

Ordinem medium ſequentes ſecundam habemus in quadrata expugnationem *Caffæ* a *Joanne Superantio*, poſtea Duce *Veneto*, qui ſimul cum dicta Urbe omnes Mercatorias Naves *Genuenſibus* eodem in portu abſtulit, & an. 1299. expreſſam a *Julio Mauro*.

Tertiam habemus in ovata victoriam ab armis *Venetis* in *Drepani* portu in *Sicilia* de *Genuenſibus* relatam, per *Marcum Gradonicum*, & *Jacobum Dandolum* anno 1265. a *Camillo Ballini* eleganter deſcriptam.

Quartam habemus a *Monte Medio* depictam victoriam anno 1258. *Acrii* de *Genuenſibus* factam per *Laurentium Theupolum*, & *Andream Zenum;* ubi videntur navi imponi marmoreæ Columnæ, quæ a Monaſterio S. *Sabæ* ablatæ ad præſens videntur in platea ante D. *Marci* portam Baptiſterii dictam; & ab eadem Urbe tranſlatæ dicuntur quatuor ſtatuæ invicem complexæ: quæ nunc ſunt in angulo Templi *S. Marci* prope primam Palatii Januam.

Ultimam habemus victoriam de *Piſanis* ad *Rhodium* in Mediterraneo Mari reportatam per *Joannem Michaëlem Vitalis* Ducis filium anno 1098. Ex *Andrea Vincentino*.

An-

Antequam duos alios picturarum ordines videmus, observemus quatuor ovatas tabulas tantum adumbratas: quarum prima ex *Alliense* continet Ducem *Ordelaphum Falierium Ungaros* an. 1120. expugnantem ac *Zaram*.

In II. Tribunal versus *Julius Maurus* repræsentat Modestiam *Dominici Michaëlis Siciliæ* ostensam. dum electus a *Siculis* Rex regnum recusavit dicens bonum Civem Patriam debere propriis commodis anteponere; hoc evenit anno 1128. dum victor ab Orientalibus partibus redibat.

In III. idem *Maurus* ostendit *Henrici Dandoli* constantiam; dum *Constantinopoli* legatum egit, partesque *Latinorum* suscepit, & jussu *Emanuelis* Imperatoris luminibus orbatus est an. 1175.

In ultima exhibetur *Petri Ziani* religionis ac pietatis exemplum dum Ducatui, omnibusque pompis renuntians Monachis adscribitur anno 1227. ex *Alliense*.

Perlustremus modò alias triangulares tabulas reliquorum ordinum, quæ duodecim sunt; sex scilicet a qualibet parte, quarum quælibet virtutem habet moralem:

Prima primi ordinis super portam quæ ducit ad scalam Forum versus habet militarem Disciplinam symbolo Virginis Clavam tenentis manu, post quam hastæ, enses, galeæ, aliaque militaria instrumenta &c. ex *Alliense*.

Secunda est Clementia, nempe muliere ætate provecta, hastam manu stringente, fulmenque projiciente altera, super Leonem insidente, figurata. ex eodem *Alliense*.

Tertia est Liberalitas, vestibus pretiosissimis ornata; e pleno nummis vase large profundens. Opus ejusdem Alliensis fuit.

Quarta Temperantia, quæ lorum ore stringit nobilibus induta vestibus, circinum una, navis gubernaculum altera manu tenens, ex *Antonio Ballino*.

Quinta est Alata mulier dextera stateram, sinistra Frænum tenens, sub cujus pedibus securis ac saxa; hæc Justitiam figurat. Ex eodem *Ballino*.

Sexta est Fides Publica candidis induta vestibus, nudatis pedibus ac dextro brachio, quod extensum porrigit, cujus prope pedes turtur. ejusdem Auctoris opus fuit.

Septima; quæ prima est alio in ordine; incipiendo a porta majori super scalam, e latere areæ; Industria est per mulierem navem manu tenentem, ad cujus pedes gubernaculum, Anchora, vela, funesque, figurata. Opus *Antonii Alliensis*.

Octava est Concordia Calicem dextera tenens; & sinistra duo Cornua; ad cujus pedes Avis Ciconia. Ejusdem Auctoris.

Nona Magnificentia e vase extrahens, ac liberaliter donans Tiaras, Sceptra, Coronas, aliaque honoris insignia. eodem Auctore.

Decima Fortitudo ferreo Thorace armata, Herculeam stringens clavam, & Leonis Capiti innixa. e *Marco Titiano.*

Undecima est Prudentia *Palladis* instar armata, quæ serpentem tricipitem calcat, cui caput unum Leonis, alterum Lupi, tertium est Canis. ex eodem *Titiano.*

Duodecima in angulo super Tribunal est Religio Crucem habens ac Calicem, candidis induta vestibus; ab eodem *Marco Titiano.*

Supersunt considerandæ inter prædictas picturas aliæ 12. triangulares parvæ, e *Gandulpho Lincio.* id est: 1. Fama, 2. Virtus, 3. Universalis Fama, 4. Taciturnitas, 5. Veritas, 6. Labor, 7. Firmitas, 8. Securitas, 9. Irroratio, 10. Abundantia, 11. Honor, 12. Fides.

Hæ quas diximus, picturæ sunt in amplissima Scrutinii aula, aureis inclusæ ornamentis, sicut & illæ Magni Consilii Aulæ.

Antequam autem ad inferiores descendamus Magistratus, ingrediamur *Aulam Scuti* dictam. ibi videbimus super portam, quæ ducit ad Collegii scalas, *Christum* resurgentem perterritis militibus; a *Tintoreto.*

In medio Pariete hujus aulæ quatuor habentur figuræ, Fides scilicet, Pax, Charitas, & Abundantia. A *Josepho Salviati.*

Deinde in aulæ angulo dextro post portam adest *Christus* in Crucem sublatus assistente Matre, *Maria Magdal.* ac S. *Joanne;* præd. auctore.

Super fenestras a parte areæ in angulis sunt duo Prophetæ duæque Sibyllæ, ejusdem auctoris.

Super portam, per quam ingressi sumus duo sunt infantes armaturam tenentes; eodem etiam auctore.

Ingrediamur modò primam Sereniss. Ducis aulam, in qua videbimus diversas regiones *Ludovici* de *Puteo*, in quarum una præcipue spectandus est Lepus, in alia Gallina, quibus similes sunt, si Spiritum adjecisset auctor.

Deinde ad sinistram post aliquot graduum ascensum, quo Serenissimus ad Senatum descendit, adest super portam depictus in pariete S. *Christophorus Christum* gestans in humeris. Opus egregium *Titiani* fuit.

A lateribus ejusdem aulæ adsunt *Temperantia*, ac *Geometria* e *Josepho Salviati.*

Post scalam, perlustremus aditum, qui ducit ad *aulam Conviviorum* dictam, ibi sunt miscellaneæ picturæ *Josephi Alabardi*, in quibus pulcherrimi columnarum ordines, aliaque ornamenta, diversæque fabulæ.

Intremus tandem aulam, in qua Convivia celebrantur; in cujus sinistra videmus Convivium, in quo accumbunt Sereniss. *Joannes Cornelius* Dux, Principum Legati, ac Senatores, expressum a *Philippo Zanimberti.*

Sequitur alia tabula continens Serenissimum Ducem, ac Nobilium

bilium Comitatum Naviculis accedentes die S. *Stephani* ad Insulam S. *Georgii* Majoris, e prædicto auctore depicta.

In prospectu ubi sella Serenissimi Ducis, adest *Maria*, ac S. Marcus, qui Ducis Cornu Sereniss. *Antonio Priuli* porrigit; & in alia ejusdem tabulæ parte videtur Angelus Ducis Cornu Sereniss. *Francisco Contareno* porrigens; ac duo infantes descriptionem tenentes, opus *Palmæ* fuit.

Incipiamus postea a parte areæ Canonicorum. initiò videbimus Sereniss. Ducem, ac Senatum visitantes Templum S. *Jacobi* in *Rivoalto* feria v. in cœna Dom. Opus *Ponzonii* erat.

Sequitur visitatio ejusdem Sereniss. ad Templum S. *Viti*. Opus ejusdem Auctoris fuit.

Transeamus ad Podium, in quo habemus Veteris Testamenti historiam. Opus cujusdam viatoris *Ultramontani Kerken* dicti.

Progrediamur paulum, ubi habebimus tabulam longo tractu extensam, quæ continet Sereniss. Ducem & Senatum ad Templum D. *Marci* die ejusdem Sancti pompaliter accedentes, ut acciperent munera Scholarum & artium Urbis. e *Sancto Peranda*.

Inter fenestras super Pontem Canonicorum respicientes sunt quatuor figurarum divisiones, e *Piloti*.

In altero aulæ latere videntur Monachi S. *Nicolai* in Littore obviam venientes Sereniss. Principi die Ascensionis, ubi multitudo militum bellicis tormentis Principem salutantium &c. eodem auctore.

Postea videtur idem Serenissimus Regiam Navim unà cum Senatu, annulum habens, ut ad Mare desponsandum in Dominii signum proficiscatur conscendens; comitante magno navium triremium armatarum, aliarumque navicularum numero; opus omni dignum laude ejusdem auctoris.

Paululum procedens videbis figuratam *S. Marci* Plateam, ac Palatium Ducis e cujus fenestris Serenissimus Dux adest certaminis spectator. e *Varnejo*.

Super Portam in egressu ejusdem aulæ videtur Annunciatio Virginis, ubi æternus Pater, ac S. Spiritus, *S. Marcus*, *Venetiæ* ac Angelus tenens formam Fori D. *Marci*. E *Josepho Alabardo*.

Hæ picturæ sunt inferioris ordinis: superius enim adest ornamentum undique circum aulam protentum; duorum pictorum opus; e parte scilicet opposita fenestris Canonicorum ædes, ex *Hieronymo Piloti*; ubi sunt variæ figuræ Fluminum, Glaucorum, Tritonum, Nereidum, Maritimorum Numinum, &c.

Altera in parte huic opposita, a sella Ducis, usque ad secundam fenestram, similes sunt figuræ, ex eodem *Piloti*.

Quod superest verò, usque ad Caput aulæ, super angulum fenestræ super ædes Canonicas, Jos. *Alabardi* figuras primis similes continet.

Lacunar vero, in quo elegans ſtructura, ac varia ornamenta auro illuſtrata, eſt opere *Dominici Bruni*, ac *Jacobi Pedrelli Brixiani* hac in arte excellentium depictum.

In eo etiam ſunt tres picturarum partitiones; in prima ſuper feneſtram Canonicorum pontem verſus videtur ſuper nubes Chorus Urbium ſignificantium adminiſtrationes factas a Sereniſſ. *Antonio Priuli*, quo Duce hoc opus factum fuit, a prædicto *Alabardi.*

Media autem *Venetias* habet cum majeſtate ſedentes, prope quas *Neptunus*, ac Dea Maritima illi præbens annulum, ac Corallia; ubi & Civitas *Candiæ*, aliæque dona offerentes; ſuperiores vero ſtant *Mercurius*, *Mars*, *Venus*, *Cynthia*, aliaque numina. Opus fuit *Matthæi Ingoli Ravennatis.*

In tertia verò ſunt plures aliæ Civitates, *Brixia*, *Patavium*, *Bergomum*, *Vincentia*, aliæque ſuper nubes. Opus *Zanimberti* fuit.

Stans ſuper podium aream Canonicorum verſus videbis e regione in pariete nobilem proſpectum, in quo Columnæ, ſtatuæ, fontes &c. *Petro Antonio Turri Bononienſi* auctore.

Adeſt etiam a capite hujus aulæ Sacellum Sereniſſ. Ducis, quod totum depinxit *Hieronymus Piloti.*

Conſideratis aulis ſitu ac elegantia ſupremis, deſcendamus in ambulacrum, quod invenitur ſuper ſcalam Gigantum; in quo plures inveniuntur Magiſtratus; in quibus omnibus habetur aliquid ad picturæ amatorum curioſitatem paſcendam.

Et ne ordinem prædicti *Boſchini* deſeramus, perambulemus prædictum ambulacrum uſque ad Magiſtratum petitionis in aditu Plateam verſus. Hic videtur Salvator ſedens Librum tenens, opere *Bonifacii.* Adeſt & alia tabula, in qua B. Virgo cum Puero; *Leandro Baſſano* auctore.

Pervenimus deinde ad alium magiſtratum, qui Veneta lingua dicitur, *Cattavero*, ibique habemus magnam ſpiritualium figurarum abundantiam, a *Vivarino Muranenſi.*

Sequitur Magiſtratus Rectorum ſcripturarum, in quo Lacunar tripartitum depinxit *Antonius Benedictus.*

Tranſeamus in aulam Auditoris, in qua ſuper Majorum tribunal a ſiniſtris videntur Innocentia, Pax, ac Concordia, aliæque virtutes huic Magiſtratui convenientes. a *Malumbra.*

Ab altera parte ſuper Minorum Tribunal, videtur Ratio, ante quam plures aliæ figuræ, ſymbola hujus Magiſtratus; opus *Angeli Mancini* fuit.

Lacunar depinxere *Roſæ Brixienſes.*

Eamus modo in Magiſtratum Proprii, ſuper cujus Tribunal tres habemus figuras, media eſt Juſtitia, a cujus dextris Angelus *Michaël* & a ſiniſtris Angelus Gabriel; quæ ſunt antiquitate vene-

rabi-

rabilia opera, cum ſint an. 1420. facta a *Jacobello.*

Procedamus modo ad magiſtratum Annonæ; in quo habemus Lacunar depictum a *Paulo Veronenſe*; in quo habentur *Venetiæ*, *Ceres*, Infantes, &c. frumenti manipulos tenentes. Et ſuper portam ejuſdem Magiſtratus videtur *Maria* cum Filio, a *Joſeph Salviati.*

Prope adeſt Magiſtratus ſuper Blaſphemiam, ſuper cujus tribunal habetur alatus Leo, ante quem Princeps vexillum tenet. opus *Jacobelli* fuit.

Supra tres portas tres ex *Andrea Vincentino* picturæ; quarum unâ eſt depicta *Chriſti* apparitio *Magdalenæ* facta; altera *Salomonis* judicium de Infante latum; tertiâ *Chriſti* Baptiſmus a *Joanne.*

Hinc tranſeamus in Advocatorum Magiſtratum in quo tres aulæ; in harum mediam, quæ eſt Notariorum, inſpicientes ad ſiniſtram habemus in proſpectu Tribunalis S. *Antonium* Abb. S. *Petrum*, S. *Hieronymum*, alatum Leonem, Crucem, ac ſtateram, aliquotque Advocatorum effigies, & ſuper Tribunal Leonem pariter alatum: opera *Donati Veneti.*

A ſiniſtris Tribunalis *Chriſtus* in monumento videtur, S. *Maria*, S. *Joannes*, S. *Marcus*, & S. Nicolaus; ſunt a *Joanne Bellino.*

Ex parte Primarii Notarii Canalem verſus adeſt tabula, in qua *Chriſtus* in aëre, *Venetiæ* cum Calice ſanguinem e *Chriſtì* Latere prodeuntem colligentes; ubi hæc verba: DONEC VENIAM, & IN VIRTUTE TUA DOMINE, & poſtea Angelus cum fide; & infra tres Advocati, ac Notarius. A *Tintoreto.*

A parte pontis, qui ducit ad Carceres, & *Pons ſuſpirantium* dicitur, adeſt pictura *Pauli* de *Frigidis* continens trium Advocatorum effigies, ac trium Notariorum; ſequitur B. Virgo cum Puero, mox tres alii Advocati, a *Leandro Baſſano.* Sequitur S. *Marcus* in aëre cum gladio, ac ſtatera, alii tres Advocati, duoque Notarii, a *Tintoreto.*

A latere verò proſpectus oppoſiti Canali videtur tabula, in qua B. Virgo cum Puero ſuper nubes, ad cujus pedes Angelus, ac duo Cherubim; tres Advocati, ac tres Notarii. Ex Equite *Tiberio Tanello.*

Sequitur alia, in qua Spiritus Sanctus inter Angelos in aëre, & infrà tres Advocati. A *Nicolao Renerio.*

Super Horologium tres Advocatorum effigies, & aliquot infantes, e *Sebaſtiano Bombelli* experientiſſimo Pictore.

Ingreſſus in aulam videbis a dextra *Chriſtum* in aëre, ac Honorem Vas habentem plenum Coronis, Clavibus, Libris &c. adeſt & Angelus duo habens thuribula, aliaque; & infrà Fides eſt, item *Venetiæ* ſceptrum tenentes & decoratæ Corona, ac armis, prope vero ſtant Leo ac tres Advocati, ac Notarius; a *Tintoreto.*

Sequuntur a dextris Tribunalis tres Advocati e *Nicolao Rene-*

nerio. Super Tribunal adeſt *Maria* cum Infante inter Cherubim; ac tres Advocatorum effigies, eodem Auctore.

A ſiniſtris tribunalis ex parte Canalis, tres aliæ Advocatorum effigies, inter quas videtur *Joannis Franciſci Lauretani.* E *Daniele Vandich.*

E regione Tribunalis adeſt *Chriſtus* reſurgens, dormientibus militibus; ubi duo Angeli in Albis, Mulieres venientes ad ſepulchrum, tres Advocati, ac duo Notarii, e *Tintoreto.*

Super Portam, egrediens videbis in aëre S. *Marcum* inter Angelos; & infra tres advocatos ac Notarium, ex eodem *Tintoreto.*

Aula ad ſiniſtram in quam congregantur cenſores, initio ad ſiniſtram partem, habet tres Advocatos, B. Virginem in aëre cum Puero, inter duo Cherubim, e *Tintoreto.*

Sequitur deinde Salvator in aëre, ac decem Advocati, quorum quatuor medii, & Salvator ſunt a *Tintoreto*; reliqui ſex a *Paulo* de *Frigidis.*

Deinde habetur Annunciatio Virginis, ac tres Advocati; e *Tintoreto.*

Tabula in angulo ſuper Tribunal a dextris, in qua duæ Advocatorum effigies eodem auctore; ſuper feneſtram aliæ duæ e *Paulo* de *Frigidis.*

Sequitur a ſiniſtris tribunalis B. Virgo in aëre a Patre ac Filio coronata; infra ſtant duo Advocati. A *Tintoreto.*

In medio parietis videtur Spiritus Sanctus inter Cherubim, ac decem effigies, ex eodem *Tintoreto.*

Sequitur *Chriſtus* mortuus in brachiis Matris, ubi & quatuor effigies. A ſchola *Malumbræ.*

Super portam e regione Tribunalis ſunt tres tabulæ; in prima quinque effigies; duæ primæ a dextris ſunt ex *Tintoreto.*, & tres e *Paulo* de *Frigidis.*

Secunda recte ſuper portam habet B. Virginem, & a dextris tres effigies; duaſque a ſiniſtris, e *Tintoreto.*

Poſtea alia; in qua quatuor effigies, e *Paulo* de *Frigidis.*

Progrediamur paululum in Magiſtratum militiæ Maritimæ ſuper cujus tribunal Sanctus *Marcus* in medio ſedens ſuper gravem ſellam, e cujus lateribus S. *Franciſcus*, ac Angelus *Michaël*, *Juſtitia* ac S. *Dominicus.* a *Benedicto Diana Veneto.*

Supra locum ſcribæ adeſt B. Virgo cum Puero, S. *Marcus*, ac S. *Juſtina.* a *Cæſare Veri.*

Accedamus modò ad S. *Nicolai* Templum; ubi a ſiniſtris inter ſcalam Gigantum, & ſcalam opertam, e lateribus altaris habemus quatuor Euangeliſtas ex *Titiano*, & a diſtanti B. Virginem, Puerum *Ieſum*, a dextris S. Nicolaum genua flectentem, & a ſiniſtris Ducem *Gritium.*

E regione Altaris ſuper portam adeſt S. *Marcus* ſuper Leonem ſedens; quæ omnes picturæ ſunt e *Titiano.* De-



Veduta della Piazza, verso la Chiesa di S. MARCO.

Prospectus Plateæ à parte Ecclesiæ D. MARCI.

Vûe de la Place, du côté de l'Eglise de St. MARC.



Veduta della Piazza di S. MARCO, *verso* S. GIMINIANO.

Prospectus Plateæ D. MARCI, à parte Sti. GEMINIANI.

Vüe de la Place de St. MARC, *du côté de* St. GEMINIEN.

47



Veduta della Piazza di S. MARCO, *verso il Canale.*

Prospectus Plateæ D. MARCI, à parte Canalis.

Vûe de la Place de S.t MARC, *du côté du Canal.*

48.



Veduta della Piazza di S. MARCO, *verso l'Horologio.*

Prospectus Plateæ D. MARCI, à parte Horologii.

Vüe de la Place de S.t MARC, *du côté de l'Horloge.*

48.

Descendamus modò e dicta scala operta prope dictum S. *Nicolai* Templum, post cujus duos ramos inveniemus Mariam cum Puero super nubes inter duos angelos in nudo pariete egregie a *Titiano* depictam & postea *Christum* resurgentem, inter Custodes monumenti, e *Francisco Vecellio Titiani* Fratre.

Hinc accedamus ad aliquot Magistratus circa aream & antequam ingrediamur aulam quinque Sapientum Mercaturæ inspiciamus murum, ubi adest in mobili tabula *Maria* cum Puero, ex *Hieronymo Forabosch*; opus egregium.

Ingrediamur modò Magistratum, super cujus portam ex parte interiori videbimus mobilem tabellam, in qua Magorum visitatio, S. *Marcus*, S. *Aloysius*; e Bonifacio.

Transeamus ad vicinum Magistratum Aquarum, ubi in aula est tribunalis porta, cujus in Cochlea *Venetiæ* triumphant socientibus Religione, Concordia, ac Vigilantia; adsunt & Securitas, Abundantia, Nereides, &c. Cochleam trahentes, ubi etiam sunt plurimæ effigies Judicum, ac Ministrorum, e *Bernardino Prudente*.

Adeamus modò Magistratum sequentem, qui *superior* dicitur, a cujus tribunalis dextris in dimidio circulo habetur ante Puerum *Iesum S. Antonius Patavinus* genua flectens, ejusque pedes osculans, e *Triva*.

Super portam videtur Salvator super nubes, S. *Petrum* ac Paulum alloquens.

Intremus modo secundam aulam Magistratus villicorum; super cujus portam habemus B. Virg. cum Puero, præter aliquot effigies Judicum ac Scribarum, ex *Paulo* de *Frigidis*, & super tribunal Christum mortuum, ubi mulieres, aliique Sancti e *Vincentio Catena*.

Palatium hoc adeo plenum est rebus mirabilibus ac pretiosis, ut illas omnes numerare, idem sit ac velle impossibile tangere; quapropter hæc pauca delibasse sufficiat.

CIRCUS S. MARCI.

Amplissimum, ac mirabile S. *Marci* Forum omni ex parte nobilibus Columnis, porticibus, marmoreisque ornamentis circumdatum, præter meridionalem plagam, egregium imitatur Amphitheatrum; & quamvis unico intuitu totum simul possis perlustrare; commode tamen quatuor in partes dividi potest.

Prima est spatium inter dextrum S. *Marci* latus, ac S. *Bassi* Templum usque ad Horologii Turrim, quod dicitur olitorium forum.

Secunda inter S. *Marci* ac S. *Geminiani* Templa. In hac ante frontem Templi S. *Marci* tria videntur vexilla serico, ac auro contexta, erectaque super bases æneas anaglyphice insculptas in quibus hæc verba leguntur:

PRINCIPE OPTIMO LEONARDO LAVREDANO DVCE VENET. ANNO IV. MARCO ANT. MAVROCENO EQV. NICOLAO, TRIVISANO, PAVLO BARBO, ECCLESIÆ SANCTI MARCI PROCVRAT.

Supponitur Artificis nomen:

OPVS *ALEXANDRI LEOPARDI* ANNO DOM. M. D. V. MENS. AVG.

Tertia a ſiniſtro latere Templi S. *Marci* extenditur Meridiem verſus ad Canalem prope quem ſunt duæ elegantiſſimæ Columnæ, *Conſtantinopoli* huc tranſlatæ; ſuper quarum unam Leo alatus S. *Marci* ſignum æneum tenet; ſuper alteram S. *Theodorus* ex ære pariter dextra Clypeum, ſiniſtra haſtam ſtringit, ad denotandum Reipublicæ mentem eſſe ſeipſam ſine ullius offenſione defendere.

Quarta eſt inter Palatium ac Canalem quod *Parvum Forum* dicitur.

Hæ quatuor partes componunt ita elegans forum ut *Petrarcha* in ſuis ſenilibus epiſt. 3. vix in orbe ſimile reperiri aſſerat, his verbis:

Uterque Ludus in Platea, cui neſcio an terrarum orbis parem habeat.

Solum ubique certis lateribus ſtratum eſt, & in præſenti Senatus mandato lapidibus ex Monte *Selice* accitis conſtrui incipit, ſicut & cæteræ urbis viæ.

Ex herbarum foro videtur Templum S. *Geminiani* pedes 680. diſtans.

In ingreſſu ad plateam ſub horologii turri videtur Inſula S. *Georgii* Majoris, & hinc uſque ad Canalem pedes 550. circiter ſunt.

Tertia Fori pars a Ponte *Paleæ* dicto uſque ad Pontem *Piſcatorum* ſpatium habet longitudinis pedum circiter 380.

TURRIS S. MARCI.

Altiſſimum hoc ædificium erigitur ad Inſulam in angulo Fori, quod haud multum impedit, quin ab omnibus fere partibus cerni poſſit.

Ejus fundamenta jacta fuēre *Petro Tribuno* Duce anno Dom. 888. ac plus temporis, materiæ, ac pecuniæ illis impenſum dicitur, quam reliquo ædificio, quod a vero non diſtare videtur; tam gravis enim machina in ſitu tenero, ac aquoſo, ſine ſolidiſſimo fundamento conſiſtere nequiit.

1148. Duce *Dominico Mauroceno* inceperunt fundamenta erigi muri; ſtatutumque fuit, ut Templo, ac Palatio eſſet commune.

Renovatum fuit anno 1319. a quodam Architecto *Montagnano* dicto. Anno poſtea 1400. incendium ſuſtinuit a facibus feſtivis ob Creationem *Michaëlis Steni* factis.

Cœleſti poſtea fulmine conſumpta fuit ſummitas ejus lignea, quæ poſtmodum lapidea ſtructa eſt, ſicut ad præſens videtur; pluribus etiam aliis vicibus a fulminibus offenſa ſtructura publico ære reſtaurata eſt.

Ejus muri duplices ſunt, ac veluti duo ædificia, a fundamentis



Altra Veduta della Piazza di S. MARCO.

Alter Prospectus Plateæ D. MARCI.

Autre Vüe de la Place de St MARC.

50.



Veduta della LOGGETTA, *in Piazza di* S. MARCO.

Prospectus PARVI PORTICUS, in Platea D. MARCI.
Architettura Sansovini.

Vûe de la PETITE GALERIE, *dans la Place de* S.t MARC.

tis usque ad summum erecta; latitudine pedum v. parique spatio inter se distant ascendentium commodo, cum duo simul possint ascendere.

Muri ita continuis arcubus uniuntur, a fundo usque ad summum gradatim se elevantibus, ut usque ad Campanas equo insidens possit ascendere; & in quolibet angulo inveniuntur fenestræ, lumen sufficiens præbentes.

Tandem post ascensum invenitur fornix super magnas Columnas *Istri* lapidis, hicque sunt Campanæ. Magnæ sunt fenestræ, unde non solum tota Civitas videri potest, una cum omnibus Insulis adjacentibus; sed & mare per spatium milliariorum 25.

Hinc per aliam scalam adscenditur super Campanas, & inde ad podium totum extrinsece circumdans ædificium, in quo commodissime ambulari potest, cùm sit innixum undecunque æneis columnis.

Super podium in quatuor miræ magnitudinis albique marmoris Leonibus erigitur maxima pyramis aurato ære contecta, quamvis aurum antiquitate depravatum amplius non videatur.

In hujus pyramidis summitate ferreo clavo impositus fuit Angelus anno 1517. qui aura venti circumvolvitur, manuque ostendit spirantem ventum; atque e ligno ære operto, in actum benedicendi est formatus.

A solo, usque ad Campanas altitudine est pedum 164. Hinc ad Angelum 152. Angelus vero habet altitudinis pedes 14. Tota igitur altitudo pedes habet 330. Adest continuo Curator Campanis hora debita pulsandis, Lege 1413. statutus.

Legitur in complemento hujus machinæ opificem e summo delapsum & S. *Marcum* devote invocantem, invenisse miraculose in medio machinæ prodeuntem trabem, quam amplexum tamdiu stetisse, quoad ab alio adjutus demitteretur ad terram. Hocque miraculum reperiri dicitur in libro in sacrario S. *Marci* asservato his verbis:

DVM CONSVMANDÆ PROCERÆ TVRRIS CAMPANARIÆ, IVXTA ECCLESIAM SANCTI MARCI IN ALTVM ERECTÆ, QVIDAM OPERARIVS OPERAM DARET, EIVSQVE VERTICE PERFICIENDÆ DILIGENTIVS INSERVIRET, DELAPSVS, EXTERIVS IN PRÆCEPS FEREBATVR. SICQVE AD IMA DESCENDENDO, INTER IPSA PRÆCIPITIA VOTVM VOVIT DEO, ET B. MARCO, SE MANSVRVM PERPETVO IN SERVITIO S. MARCI, SI EVM DE INSTANTI PERICVLO LIBERARET. CVMQVE CADENS HÆC FIRMITER PROMISISSET, LIGNO CVIDAM, QVOD EXTRA EANDEM TVRRIM SVB EIVS MEDIO PROMINEBAT IPSI TVRRI PROPTER OPERAM EXTERIOREM INIVNCTVM, SINE ALIQVA CORPORIS LÆSIONE ADHÆSIT, IBIQVE TAMDIV ABSQVE LABORE SE TENVIT, DONEC FVNE SVBMISSO, INCOLVMIS IN TERRAM VENIRET. PROMISSIONEM AVTEM, ET VOTVM, QVOD FECERAT, DEVOTE IMPLEVIT, ET ASSIDVE IN SANCTIS OPERIBVS LABORANS, SALVBERRIME DIEM CLAVSIT EXTREMVM.

PERISTYLIUM.

A pede Turris habetur Peristylium e Regione portæ Palatii, quod est aula, in qua diebus quibus magnum congregatur Con-

Consilium, stant aliquot S. *Marci* Procuratores pluribus cum armatis in Palatii Custodiam; ibique manent, usquedum Nobiles e Consilio egrediuntur, ex Decreto 1569.

Hujus frons ornatur marmoribus, columnis, figuris, aliisque operibus magni *Sansovini*. Quatuor sunt loculi, in quibus totidem ænea signa, id est *Pallas*, *Apollo*, *Mercurius*, ac Pax.

Super dicta signa tria quadrata anaglyphice sculpta: Primum habet rempublicam Justitiæ instar, sub qua varia flumina extenduntur inundantia, quæ subditas Urbes significant. Dextrum habet *Venerem Cypri* regnum denotantem, utpote olim Regina fuit, Deaque ejusdem regni. Tertium, id est sinistrum habet *Jovem Candiæ* olim Regem, cui Aquila Virgam defert; quæ omnia idem Candiæ regnum significant.

Eadem in aula e regione portæ interius adest B. Virgo ac S. *Joannes* Bapt. in loculis; etiam ex *Sansovino*. Omniaque prædicta ornamenta magno pretio habentur, ab artis sculptoriæ studiosis.

Lacunar quinque habet ex Equ. *Liberi* tabulas. Media habet effigiem Ducis *Francisci Molini*, cui Respubl. porrigit Ducis cornu, ac multas Imperatorias Virgas, assistente gloria, aliæ tres totidem continent virtutes.

ÆDIFICIA CIRCA FORUM,

Quæ PROCURATORIA dicuntur.

AB Horologii Turri usque ad S. *Geminiani* Templum dicuntur *Procuratoriæ Veteres*; hinc vero usque ad angulum prope Turrim Campanæ *Novæ Procuratoriæ* dicuntur; ab angulo verò usque ad Fori extremitatem prope Canalem, sunt Procuratoriæ, Publica Bibliotheca, ac nummaria officina.

TURRIS HOROLOGII.

Turris hæc publicumque Horologium anno 1496. erecta fuerunt ad formam *Joannis Caroli Rinaldi* Mathematici Celeberrimi, quem Respublica solita est liberaliter & haud parvo præmio donare.

Sub Turri arcus portæ similis, per quam in Forum patet accessus; super quem adest Horologii quadra, seu sphæra, in qua index horas 24. indicat; in ipsaque videtur Solaris motus, ac Lunaris per 12. Zodiaci signa.

Super prædictam Sphæram Virginis *Mariæ* adest imago sedens naturalis magnitudinis inter duas portas, quæ inserviunt transitui quatuor quasi naturalium figurarum, id est Angeli tubam canentis, ac trium Regùm, quæ prætereuntes dimidium circulum podio similem, & ante Virginem pervenientes in signum



PROCURATIE VECCHIE. VETUS PALATIUM PROCURATORUM. *PROCURATIE VIEILLE.*

Architectura di Mastro Bono Proto di S. Marco.

32.



PROCURATIE NOVE, in Piazza di S. MARCO.

NOVUM PALATIUM PROCURATORUM, in Plateæ D. MARCI.

Architectura [illegible] Scamozzi.

PROCURATIE NEUVE, dans la Place de St. MARC.

53.

gnum reverentiæ curvantur; quibus prætergreſſis, oſtiola iterum clauduntur. Artificium ſane mirabile rotis conſtans, ac ponderibus, terminatur, quod diebus in Urbe ſolemnioribus videre licet, poſt quodlibet horæ ſignum.

Paulò ſuperior Cœleſti Campo ſtellato inſculptus eſt aureus Leo, S. *Marci* inſigne.

In ſummo Turris pergrandis Campana, quam duæ æneæ ſtatuæ alternis vicibus gravi malleo mirabilis ſtructuræ, qualibet hora percutiunt.

PROCURATORIÆ DOMUS VETERES.

Ab Horologio uſque ad S.Geminiani Templum extenditur ædificium, extrinſecus eodem ordine ſtructum, marmore elegantibuſque ornamentis conſpicuum; etſi internum diverſas habet differenteſque habitationes.

Frons hæc 57. ſuſtinetur columnis, ſuper quas arcus eriguntur longum formantes angiportum, æqualem Foro ad illius ornamentum, ac commodum.

PROCURATORIÆ NOVÆ.

Poſt Templum S. *Geminiani* incipiunt ædes Procuratoriæ novæ, ædificium ſane perelegans ſequens uſque ad angulum eundem, ad formam præſtitam a *Vincentio Scamozzi*; magni nominis Architecto, quod inceptum fuit 1583.; eſt aliquantulum altius ac pulchrius veteribus procuratoriis, quæ opponuntur.

Tres in eis obſervantur ſtructuræ ordines, *Doricus* ſcilicet *Jonicus*, ac *Corinthius*; habetque Columnas, Coronides, ac ornamenta ex meliori *Iſtri* lapide.

Columnæ 46. frontem ſuſtinent, quibus angiportus formatur prædicto e regione non diſſimilis, qui etiam eundem arcuum ac columnarum ordinem uſque ad alteram Fori extremitatem juxta Canalem proſequitur.

Novem habitationes pro totidem S. *Marci* Procuratoribus interius continent.

BIBLIOTHECA PUBLICA.

Publicæ Bibliothecæ proſpectus, qui in angulo prope Turrim *Campani* æris incipit ſicut & alii aliorum ædificiorum ſequentium uſque ad extremum monetariæ officinæ, non multum ab ordine in ædibus procuratoriis ſervato differt; hoc plus habet quod feneſtris ſuper primam Coronidem podia annexa ſint, parvis inſtructa Columnis, interque ipſas feneſtras variæ figuræ variaque ornamenta;

marmore ac opera excellentia ex *Sansovino*, qvi nomen sibi comparavit immortale, duas diversas formas miscendo, haud sine magna industria præ omnibus Architectis, in ædificii hujus angulo prope Turrim.

In summo ædificii aliud parvum podium etiam in columnis erigitur, inferiori æquale, suntque spatia pilis distincta & infimis arcuum pilis respondentia, quarum cuilibet statua est imposita; omnes autem numero sunt 25. a variis peritisque auctoribus sculptæ, quæque varia numina, ac gentilium fabulosas Deitates repræsentant, *Prometheum* scilicet, *Neptunum*, Terram, *Ancum Martium*, Zephyrum, *Herculem*, *Adonidem*, Abundantiam, *Plutonem*, *Tritonem*, *Proserpinam*, *Mercurium*, *Pomonam*, *Æolum*, *Cererem*, *Bacchum*, *Dianam*, *Saturnum*, *Junonem*, *Jovem*, *Venerem*, *Apollinem*, *Minervam*, ac *Martem*.

Hac in Bibliotheca servantur magni numeri ac valoris Libri; qui colligi cæperunt *Francisci Petrarchæ* temporibus; auctique postmodum multùm a *Bassarione* Cardinale; qui ambo proprias Bibliothecas Senatui testamento reliquêre. De secundo marmoreo in quadrato sic legitur:

BESSARIONIS CARDINALIS EX LEG. SENATVS IVSSV, PROCVRATORVM DIVI MARCI CVRA PHILIPPI TRONO, ANT. CAPELLO, ANDREA LEONO, VICTORIO GRIMANO, IOANNE A LEGE EQ. BIBLIOTHECA INSTRVCTA, ET ERECTA. M. ANT. TRIVISANO PRINCIPE AB VRBE CONDITA. MDXXXIII.

Ad sinistram sunt septem Philosophorum figuræ in septem loculis, inter quos septem sunt tabulæ ac septem aliæ Philosophorum imagines.

Prima tabula continet S. *Marcum*, *Venetias*que albis indutas tenentesque vexillum, in quo appictus est Leo a *Bonifacio*; quæ tempore labefactata ab *Alliense* restaurata sunt, ac ab eodem *Mars* renovatus, ac Infans Cythara pulsans.

Secunda habet *Apollinem* Lyra ludentem, *Mercurium*, *Cupidinem*, *Fictionem*, ac *Neptunum*, a *Baptista Franco*.

Tertia *Jovem* habet vas, e quo flamma scaturit gravibus viris monstrantem, opus *Parrhasii Michaëlis* fuit.

Quarta *Christum* habet latus suum *Thomæ* ostendentem, præsentibus Apostolis: opere *Rochii Marconii* depictum.

Quinta habet æternitatem nubibus insidentem & Poëtis laureatis circumdatam, a *Tintoreto*.

Sexta habet sapientiam sedentem super currum, quem duo homines trahunt; ubi & Magus, ac *Vestalis* Virgo; a Schola *Salviati*.

Septima *Mariam*, Puerum, S. *Rochium*, S. *Rosanam* ac S. *Catharinam* habet. Tabula tota a *Georgionio* erat, quæque ab *Alliense* restau-

ſtaurata nil ab Auctore retinet, præter *Mariæ*, Pueri, ac S. *Roſanæ* Capita.

Numeremus modo a Capite Philoſophos: duo primi ſunt a *Tintoreto*. Tertius a *Petro Vecchia*. Quartus, quintus, ac ſextus itidem e *Tintoreto*. Septimus tandem globum tenens eſt e *Schlavone*.

In proſpectu Turrim verſus quatuor alii ſunt Philoſophi e *Tintoreto*.

Deinde in proſpectu Forum verſus ex parte feneſtrarum ſeptem alii ſunt Philoſophi. Primus Librum tenet, a *Petro Vecchia*; Secundus e Schlavone. Tertius manus apponens pectori, eſt e *Paulo Veronenſi*. Quatuor qui ſuperſunt, ſunt e *Baptiſta Franco*; ſicut & ſub illis hiſtoriæ.

In proſpectu ex parte januæ dextræ duæ ſunt mobiles delineationes, a *Tintoreto* factæ.

Ad ſiniſtram alia, in qua duæ figuræ, id eſt Philoſophus in cujus manibus ſphæra, ac mulier habens Circinum, eſt e *Parrhaſio Michaële*.

Lacunar 21. diviſum eſt in Circulos: tres primi ſuper portam in quibus plura nomina ac Hieroglyphica, ſunt ex *Fratinis* fratribus. Tres vero qui ſequuntur, in quorum uno *Pallas* ac *Hercules*; ſecundus habet *Mercurium*, Harmoniam ac *Neptunum*. tertius fortunam ſuper globum ſtantem, *Palladem*, ac fortitudinem, &c. ſunt e *Salviati*.

Sequuntur alii tres, quorum medius *Atheonem* habet ac *Dianam* & cæteri duo alias ſimiles figuras. E *Baptiſta Franco*.

In quarto ordine duo ſunt ſigna pariter ejuſdem auctoris; tertio vero temporis conſumpto alium ſuppoſuit *Strozza*, Presbyter *Genuenſis*, in quo adeſt ſculptura inter ſtatuas, regulam tenens ac circinum.

Quinti ordinis tria ſigna primum ſcilicet continens *Atlantem* mundum humeris ſuſtinentem; Aſtrologiam, Geometriam, ac *Nilum* cum aliquot infantibus, eſt ab *Alexandro Varotari*, alia duo ex *Salviati*.

Sequuntur alia tria ſigna e *Paulo*, ob quorum excellentiam dignus habitus fuit, cui præ aliis, qui certatim pinxerant aureus torques donaretur.

Tres ultimæ picturæ ſunt *Andreæ Schlavonis*, in quibus, magis quam in aliis colorum vivacitas ſplendet.

Sunt præterea inter hos circulos varia ornamenta, miſcellaneæ picturæ, infantes, &c. e *Baptiſta Franco*.

Bibliothecæ conjungitur aula ſignis, aliiſque antiquiſſimis ornata monumentis magni valoris, quæ Reipublicæ dedit *Joannes Grimani* Patriarcha *Aquilejenſis*, & *Romæ*, e *Græcia* aliiſque orbis Regionibus, haud ſine maximo ſumptu collegerat.

Ibidem ſunt 12. Rom. Cæſares ex optimo marmore, quos *Dominicus* Cardinalis *Grimanus* Reipublicæ dedit.

Quam

Quam plures alias huic aulæ ſtatuas dedit *Fridericus Contarenus* S. *Marci* Procurator, cui a Senatu horum monumentorum, ac ſtatuarum ordinatio commiſſa fuerat; quas ita diſpoſuit, ut ordo ipſe admirationem adſpicientibus pariat. Super portam verò a parte interiori hæc verba leguntur:

SIGNA MARMOREA PERANTIQVA, OLIM A DOMINICO CARDINALE GRIMANO, ANT. PRINCIPIS F. ET POSTEA A IOANNE PATRIAR. AQVILEIENSI EIVSDEM PRINCIPIS NEPOTE, PASQVALE CICONEA DVCE, MAGNA EX PARTE REIPVBLICÆ LEGATA; PARTIM VERO MARINO GRIMANO PRINCIPE A FEDERICO CONTARENO DIVI MARCI PROCVRAT. AD ABSOLVTVM ORNAMENTVM SVPPLETA. IDEM FEDERICVS EX SENATVS CONSVLTO HOC IN LOCO REPONENDA CVRAVIT. ANNO DOMINI MCCCCXCVII.

Muſêi hujus Lacunar, non minori artificio ornatum eſt diverſis ſtructuræ proſpectibus, aureis virgulis illuſtratis a *Roſa Brixienſi*. In medio ſpatio habetur mulier, ſchedulam tenens, prope quam infans. opus rariſſimum *Titiani* fuit.

Prope hanc Aulam habetur locus Collegii, ubi Senatus ordine Rhetorica, Jure ac Philoſophia juventus inſtruitur, aliiſque ſcientiis, ac facultatibus.

PROCURATORIÆ,

ID EST,

LOCA PROCURATORUM S. *MARCI*, *CONGRESSUI DESTINATA.*

Eædem quæ ad Bibliothecam ſcalæ, pariter, in Procuratorias ſuperiores ducunt, quæ fornicibus gypſi analyphis optime ornatis ſtructæ ſunt, ubi variæ ſunt figuræ, ac miſcellaneæ *Baptiſtæ Franci*, *Semolei* dicti.

In primo harum ſcalarum plano ſemicirculo, adeſt B. *Virgo*, S. *Marcus*, S. *Joannes Bapt.*; duoque infantes a *Baptiſta Mauro*.

A ſiniſtris ſuper ſecundum ſcalæ planum e regione portæ Bibliothecæ ſunt delineationes, quæ inſervierunt normæ operum vermiculatorum S. *Marci*, e *Dominico Tintoreto*.

Ingrediamur modò tres hujus Procuratoriæ aulas, ubi habemus quam plures optimorum artificum effigies, quarum major numerus eſt e *Tintoreto*.

Prima in aula e regione ingreſſus, quatuor ſunt effigies, ſcilicet *Franciſci Contareni*, *Melchioris Michaëlis*, *Friderici Contareni*, ac *Franciſci Priuli*;& ſuper has alia *Simeonis Contareni*. ex Equite *Tinellio*.

Inter feneſtras aliæ quatuor a *Tintoreto*, id eſt *Hieronymi Amulii*, *Andreæ Delphini*, *Jacobi Superantii*, ac *Jacobi Foſcarini*, ac in ſuperiori dimidio circulo, *Priuli* ac Contareni, ex eodem *Tintoreto*. Inſuper ſuperior alius ſemicirculus *Grimani*, ac *Marini* habet effigies ex *Ingoli*.

Ex parte portæ tabula, in qua B. *Virgo*, Puer ac Angeli; item S. *Marcus*,

cus, ac S. *Theodorus*; e *Vincentio Catena*. A dextris adeſt *Joannes Paulus Contarenus*, a *Tintoreto*.

Super feneſtras duo dimidii circuli, quorum primus habet S. *Joannem Baptiſtam* prædicantem, ſecundus Epulonem Divitem, ambos *Scholæ Damiani*.

Secunda in aula ſuper portam, quæ ad tertiam aulam ducit, ſunt quatuor effigies *Jacobi Superantii* ſcilicet, *Andreæ Leonis*, *Franciſci Priuli*, ac *Joannis* de *Jure*, a *Tintoreto*.

E feneſtrarum parte quatuor aliæ picturæ quarum tres a *Tintoreto* id eſt *Victoris Grimani*, *Joannis* de *Jure*, *Petri Grimani*; quarta vero *Antonii Capelli*, eſt a *Titiano*.

Super prædictas effigies Samaritana in dimidio circulo a *Baptiſta* de *Mauro*; e regione *Philippus Thronius*; a *Tintoreto*: ſupra *Franciſcus Maurocenus*, e *Tiberio Tenellio*; & ſuper feneſtram *Antonius Landus*, e *Tintoreto*.

In tertia ac ultima aula ſtatim e regione videtur Sereniſſ. *Joannes Cornelius*, e *Tintoreto*.

Sequuntur in proſpectu a parte feneſtrarum duo dimidii circuli, quorum unus *Chriſtum* mortuum præſentibus mulieribus ac *Joanne*, e *Tintoreto*; Filium prodigum alter habet, e *Parrhaſio Michaële*.

Sunt omnibus in hiſce aulis anaglypha gypſi aurata & elegantia.

ÆDES PROCURATORIÆ CITERIORES.

Sequuntur eodem in ordine aulæ tres, in quarum prima habe-
tur *Chriſtus*, Vulgo *Ecce homo* dictus, e *Joanne Bellino*; a cu-
jus lateribus duo Angeli e *Tintoreto*; ſicut & effigies *Marci Moli-
ni*, *Aloyſii Renerii*, ac *Alexandri Contareni*.

Adeſt effigies *Antonii Priuli* e *Leandro Baſſano*, *Auguſtini* verò *Nani* ac *Pauli* fratris effigies, e *Tintoreto* ſunt.

Secunda in aula *Octavii Grimani*, *Marci* ac *Vincentii* pariter de *Grimanis*, *Paſqualis Ciconiæ*, ac *Antonii Bragadeni* effigies omnes ſunt a prædicto *Tintoreto*.

In tertia denique aula, *Laurentii Amulii*, & *Vincentii Mauroceni*,
effigies ſunt a *Tintoreto*. item, *Hieronymi Zani*, Equitis, ac Du-
cis a *Parrhaſio Michaële*; *Hieronymi* verò *Zeni*, *Laurentii Juſtinia-
ni*, ac *Thomæ Contareni*. e *Tintoreto*, ſicut & cæteræ *Priami* de *Leg-
ge*, ac *Lucæ Michaëlis*. *Hieronymi* etiam ac *Joannis Superantii*,
e *Tintoreto* ſunt.

PROCURATORIÆ ULTERIORES.

Ædes hæ eodem ſequuntur ordine prope Monetalem officinam anglyphis auratis pariter ornatæ.

Quarum prima aula in duobus portarum proſpectibus octo habet effigies ex *Tintoreto* ; & in dimidio circulo *Pilatus* Judæis *Chriſtum* demonſtrat, e *Titiano.*

Secunda habet octo pariter effigies, quarum ſex e *Tintoreto* ſunt, ſicut & aliquot infantes.

Tertia, in qua Tribunal, habet Ducem *Nicolaum* de *Ponte* ac *Sebaſtianum Venerium* navali victoria glorioſum, e *Tintoreto.*

Ex illis, qui ſuper portam ſunt, primus eſt Dux *Aloyſius Mocenicus*, ac alter *Hieronymus Priuli*, ex *Tintoreto.* Medius ſtat *Joannes Grimanus* Eques, a Presbytero *Genuenſi.*

Super Tribunal Dux *Marcus Antonius Triviſanus* e *Tintoreto*, quem ſequitur *Lazarus Mocenicus*; a *Nicolao Renerio;* cæteri verò; id eſt *Joannes Bembus*, *Franciſcus Donatus* Duces, ſuper feneſtras *Franciſcus Ericius* , ac *Joannes* de *Legge*, & *Franciſcus Contarenus* armorum Præfectus; ſunt a *Dominico Tintoreto.*

Super portam S. *Petrus*, S. *Marcus*, ac tres effigies flexis genibus, opere eximio *Joannis Bellini* extitere.

Sunt aliæ inſuper *Antonii Bragadeni*, *Marci Antonii Grimani* effigies, ac *Joannis Venerii*, *Tintoreto* pictore.

MONETALIS OFFICINA.

Poſt Bibliothecam, ac Procuratorias fortiſſimum habetur ædificium Senatus ordine a *Sanſovino* Architecto erectum ac Monetali officinæ deſtinatum.

Quod etſi videtur anguſtum , commodiſſimum tamen eſt lociſque ad auri, argenti, ac æris opera requiſitis abundans; ſicut & habitaculis, Miniſtris ac Curatoribus neceſſariis.

Inter cætera, quæ hoc ædificium mirabile reddunt, eſt illud omni ex parte Iſtri Lapidibus, coctis lateribus, & ferro ſine ligno conſtructum fuiſſe, ut ab inſidiis & igne eſſet ſecurius.

In ingreſſu videntur duo marmorea ſigna, duos repræſentantia minantes gigantes; quorum alterum fuit opus *Titiani Aſpecti*, alterum *Hieronymi Campaniæ.*

Poſtea inveniuntur viginti & quinque officinæ, in quibus elaborantur, ac imprimuntur monetæ. In medio areæ puteus; in ſumma hujus parte *Apollinis* ſignum ſculptum eſt a *Danenſe Cartanæo* ; tenetque manu aureas Virgas ad denotandum Solis beneficio aurum in terræ viſceribus procreari.

Duæ patent ſibi oppoſitæ regiæ ſcalæ, quibus aſcenditur ad aulas ſuperiores Magiſtratibus, ac officinas miniſtris inſervientes.

Ubi aſcenderis, ingreſſus primam aulam , qua itur ad Proviſores ejuſdem officinæ; ſuper feneſtras, vides B. Virginem cum Puero, S. *Hieronymum*, & S. *Franciſcum*, a *Benedicto Diana.*

Su-



Veduta della PIAZZETTA, verso LA ZECCA.

Prospectus parvæ Plateæ, ZECCAM vel OFFICINAM MONETALEM versus.

Vüe de la PETITE PLACE, du Coté de la ZECQUE ou l'HÔTEL de la MONNOYE.

54



Veduta della ZECCA, *Sopra la Pescaria.*

Prospectus ZECCÆ, vel OFFICINÆ MONETARIÆ, ſupra FORUM PISCARIUM.

Architectura Sansovini.

Vûe de la ZECQUE *ou l'*HÔTEL DE LA MONNOYE, *au dessus de la* POISSONORIE



Veduta delle PRIGIONI.

Prospectus CARCERUM.

Architectura Sansovini.

Vûe des PRISONS.

56.



Veduta della Piazza di **RIALTO.** Prospectus Plateæ **RIALTIS.** *Vue de la Place de* **RIALTE.**



Fabriche da RIALTO, sopra il Canal grande.

Ædificia RIALTIS, ad magnum Canalem.

Architectura Andreæ Palladii.

Batimens de RIALTE, sur Le grand Canal.

Super Tribunal, Magorum visitatio *Christo* data, & *Reginæ Sabæ* visitatio *Salomoni*; a *Bonifacio*.

Super Coronidem aulæ tres sunt tabulæ, quarum prima ad sinistram tres habens effigies, est e *Tintoreto;* secunda tres alias e *Paulo* de *Frigidis;* tertia similiter tres e *Tintoreto*.

Sunt super portam egressus, *Maria* cum Puero, S. *Joannes*, S. *Theodorus*, S. *Nicolaus*, & aliquot effigies, a *Marco Titiano*.

In aula Procuratorum *Vulcanus*, ac Cyclopes sub Camino sunt e *Palma*.

Super portas *Christus Petrum* vocans in aquas, ac idem dormiens in Navicula. Ex eodem *Palma*.

Inter fenestras ex parte Rivi adest S. *Marcus* e *Palma;* e regione dimidius circulus, in quo *Maria* cum Puero, S. *Jacobus*, S. *Laurentius*, aliquotque infantes, e Schola *Bonifacii*.

In officio Revisorum, ac Oeconomorum Reipub. redituum, super tribunal adest Magorum visitatio, ex *Antonio Follerio*. E regione *Pharisæus* monetam *Christo* ostendens, ex eodem *Follerio*.

In Magistratu verò, ubi Lucra solvuntur, super Tribunal adest *Maria* cum Puero, & S. *Marco*, item *Venetiæ* in dimidio circulo, ab eodem *Follerio*.

CARCERES PROPE PALATIUM DUCIS.

Pasquale Ciconia Duce, Carceres e Corpore Palatii huc transferre deliberarunt; structumque fuit fortissimum hoc ædificium *Istri* lapidibus rusticè elaboratis, sed mirabiliter nexis anno 1602. *Marino Grimano* Duce.

Frons septem ab arcubus columnis innixis sustinetur; unde formatur spatiosa porticus.

Patet per spatiosam portam aditus ad aream, in cujus medio puteus; & undique ostia in diversos carceres ducentia.

Ædificium totum plumbo tegitur; & in superiori habitaculo erectus est pons Carceres Palatio jungens; qui inservit etiam Captivis ad Tribunalia ducendis, ut judicentur; unde Suspirantium pons dictus est. Tandem ædificium exterius elegans, horridum interius est.

R I V O - A L T U S.

Insula hæc a cæteris sejuncta, ac eminentior, Ripa alta seu Rivo-altus dicta est. Quæ postquam a Primatibus Reipublicæ habitata est non solum extensione crevit, verùm & mirabilibus fuit ornata ædificiis. Inter quæ præter ea, quæ publicis inserviunt Magistratibus elegantissimus procul dubio est magnificus Pons Rivoalti dictus.

Celeberrimus hic Pons ligneus olim fuit, ſed anno 1587. decretum fuit, ut lapidibus conſtrueretur; & ædificium uſque ad debitam molis ac pulchritudinis excellentiam duceretur; eidem tres præſtantiſſimi Senatores, ac S. *Marci* Procuratores, *Marcus Antonius Barbarus*, *Jacobus Foſcarini*, & *Aloyſius Georgius*, ſunt præfecti, qui examinatis plurium Architectorum formis illam tandem ab *Antonio* de *Ponte* præſtitam elegêre, ac fodiendis fundamentis prædicti anni die 1. Februarii initia dedere.

Ad fundamenta jacienda, 16. altitudinis pedes utraque ex parte terra effoſſa eſt; ubi ex utraque pariter parte infixæ ſunt ligneæ trabes ſexies mille altitudine 10. pedum.

His trabibus impoſitæ fuerunt tabulæ palmum latæ invicem corroboratæ, ac conjunctæ aliis lignis longitudinis pedum 40.

Solo ita diſpoſito, Calce *Iſtri*que lapidibus incepta fuere fundamenta die 9. Junii 1588. omni cum ſolemnitate ac pompa; & machina ad finem perducta anno 1591.

Pontis arcus in ſummo altitudinis habet pedes 22. undique 70. latitudinis verò circiter 43.

Latitudo, ſeu ſpatium quà pertranſitur, in tres partes, quaſi vias tres dividitur, per quas tranſitur adſcendendo ac deſcendendo commodiſſimis gradibus.

Ab initio aſcenſus, uſque ad deſcenſus finem pedes habet 187.

Dicta tria, quibus tranſitur, ſpatia duplici officinarum ordine ſeparantur; ſive, ut melius dicam, medium ſpatium hinc, inde ornatur quatuor ac viginti officinis diverſarum rerum, plumbo contectis.

Externa verò ſpatia podium columnis lapideis ſtructum, parte exteriori ſuper aquam, ambit.

E quatuor Pontis lateribus quatuor habentur marmoreæ ferè anaglyphicæ figuræ; quarum una eſt Angeli, e cujus regione *Mariæ* annunciatæ, altera parte S. *Marci*, & e regione S. *Theodori*; ubi etiam videntur inſignia Ducis *Paſqualis Ciconiæ*, ſuntque opera *Hieronymi Campaniæ*, cuilibet dictorum operum ſuppoſita eſt hæc Inſcriptio:

PASCHALE CICONIA VENETIARVM DVCE. ANNO CHRISTI MDXCI. VRBIS CONDITÆ MCLXX. CVRANTIBVS ALOYSIO GEORGIO PROC. M. ANTONIO BARBARO EQVES, ET PROCVR. IACOBO FOSCARENO EQVES ET PROCVRATOR.

ARMAMENTARIUM.

Locus iſte, qui *Venetæ* Munificentiæ argumentum, publicæ libertatis fundamentum, *Italiæ* Antemurale, ac totius Chriſtianiſmi ſcutum, haud immerito dici poteſt, & duo circiter milliaria complens undique altis, fortibuſque muris, quos aqua circumdat munitus eſt.

Su-



Ponte di RIALTO. | Pons RIALTIS. | *Pont de* RIALTE.

Architectura Anth. del Ponte.



Altra Veduta de l'Ponte di **RIALTO**. Alter Prospectus PONTIS RIALTIS. *Autre Vüe du Pont de* **RIALTE**.



Veduta Esteriore delle PORTE DE L'ARSENALE. Prospectus exterior IANUARUM ARMAMENTARII. *Vûe exterieur des* PORTES DE L'ARSENAL.



Altra Veduta delle PORTE DE L'ARSENALE. Alter Prospectus IANUARUM ARMAMENTARII. *Autre Vüe des* PORTES DE L'ARSENAL.

Super muros ad certam distantiam erectæ sunt parvæ turres, & speculæ; nocturnisque vigiliis ac defensioni præcipue ab igne constructæ.

Alio olim in situ posita fuerunt ædificia, anno verò 1394. hic cæperunt ædificari, diversisque temporibus aucta.

Duo tantum huc patent aditus a se invicem non distantes, unus scilicet Navium, alter hominum commodo, quos custodiunt milites, qui ingressum negant incognitis & absque superioris permissu accessum.

Terrestri in aditu adest ampla ac Augustissima Porta optima structura elaborata anno 1357. supra quam magnus ac elegans Leo ex marmore.

In summitate erectum est ex marmore S. *Justinæ* signum ab *Hieronymo Campania Veronensi*; in coronide verò legitur:

LEO DE *MOLINO, MARCO CONTARENO, AL. CAPELLO I. DUCE INCLYTO PASCHALI MARIPETRO. CHRISTI INCARNATIONE* 1460.

Clauditur exterius terrestris aditus marmoreis pilis, ferreisque cancellis, æneis ornamentis decoratis. Pilæ sunt octo, quarum unaquæque statuam habet superimpositam, ex marmore electo optimis ab auctoribus nostri temporis elaboratam, varia repræsentantem numina. Duabus anterioribus pilis adjuncta sunt Stemmata Provisorum, ac Dominorum Armamentarii illius temporis; & in aliis duabus eorum nomina sic describuntur; in prima ad dexteram:

PATRONIBVS
MARCO ANTONIO MEMO
BARTOLOMEO RVZZINI
HIERONYMO MOCENIGO.

In secunda vero ad sinistram:

HIERONYMO BARBADICO
DANIEL DELPHINO
PETRO DONATO

E lateribus duo grandes ex marmore Leones, ac alius item minor, sunt antiquissima monumenta, Athenis captis, huc translata.

Primo a sinistris ingressus subscriptum est:

FRANCISCVS MAVROCENVS PELOPONNESIACVS
EXPVGNATIS ATHENIS
MARMOREA LEONVM SIMVLACRA
TRIVMPHALI MANV EPIRO DIREPTA
IN PATRIAM TRANSTVLIT FVTVRA VENETI LEONIS
QVÆ FVERVNT MINERVÆ ATTICÆ ORNAMENTA

Secundo autem:

ATHENENSIA VENETÆ CLASSIS TROPHÆA
VENETI SENATVS DECRETO
IN NAVALIS VESTIBVLO CONSTITVTA
ANNO SALVTIS MDCLXXXVII.



Veduta della DOGANA DI MARE.

Prospectus TABERNÆ TRIBUTARIÆ MARIS.

Architectura Josephi Beloni.

Vüe de la DOÜANE DE LA MER.



Altra Veduta della DOGANA DI MARE. Alter Prospectus TABERNÆ TRIBUTARIÆ MARIS. *Autre Vüe de la* DOÜANE DE LA MER.

64.

tarium ingreſſo, ſeróque egrediente dixit, malle ſe hanc domum, quam quatuor *Italiæ* Urbes.

PROMPTUARIUM GERMANORUM.

Non longe a *Rivoalto* erigitur ſpatioſum hoc ædificium, quod pedes 512. habet in circuitu, ac 24. conſtat officinis.

Ampliſſimam infernè columnis circumdatam habet aream porticibus, & ambulacris, in quibus cubicula ſunt ducenta. Palatium hic olim erat Reipublicæ Rectorum; nunc verò *Germanis* ad merces reponendas conceſſum eſt, quæ Reipub. non ſolum, ſed & *Italiæ* toti utilitatem adferunt valde notabilem.

Incendio conſumptum, reædificatum eſt publico ære, Duce *Leonardo Lauredano.* Externe plures habet partim ex *Titiano*, partim ex *Georgeonio* picturas.

ALIA ÆDIFICIA PUBLICA.

Plurima ſunt hac in Urbe publica ædificia, ut Magiſtratus, Aulæ, Telonia, Horrea, &c. quæ cum admodum conſpicua non ſint, ſilentio præterimus.

Inter hæc verò omitti non debet locus Publicæ Tabernæ tributariæ maris inter S. *Marcum*, ac S. *Georgium* Majorem erectum, forma, ac idea *Joſephi Benoni*, anno 1682.

Ejus in medio turricula erigitur, ſupra quam duæ ſtatuæ æneum globum auratum tenentes videntur, & ſuprà Fortunæ ſignum ſtat, quod qualibet venti aura circumvolvitur. In quatuor angulis, quatuor maritima numina, ad ſignificandum maritimum eſſe Telonium.

ÆDIFICIA PRIVATA.

Nulla in totâ *Europâ* eſt Urbs, quæ numero & magnitudine Palatiorum *Venetias* ſuperet. Cum autem ſola Ducis habitatio ab Incolis vocetur Palatium, cæteris ædibus *Caſarum* nomen ipſorum modeſtia tribuit. Enimverò ſi celeberrimas *Italiæ* Urbes, *Romam*, *Neapolim*, *Mediolanum*, *Florentiam*, *Bononiam*, *Patavium*, *Veronam*, *Ticinumque* perluſtramus, vix quatuor ſexve Domos in unaqualibet earum invenimus, quibus Palatii nomen jure merito conveniat. Centum ad minimum illuſtrantur *Venetiæ* Palatiis antiquis, noviſve, magnitudine & magnificentiâ conſpicuis, ſivè ornamenta ſpectes, ſive ſitus delectum ad commodum utilitatemque habitandi.

Veneti quidem ex parvis Insulis mari undique circumdatis Urbem suam constituerunt, sed superante industria & arte naturæ defectum, quà fieri potuit, quibus conclaudebantur dilatavere angustias, ita ut si Palatiis aliisque ædibus addidissent hortos, & areas, amplioresque fecissent vicos, quamlibet Orbis terrarum urbem *Venetiæ* forent magnitudine superaturæ. Ad extremam verò Urbis oram, quæ propius ad continentem accedit, casæ humiles, per angustas fenestras, & perpauca foramina solem aëremque recipientes, primorum Fundatorum parsimoniam adhuc ostendunt, situsque per prima illa nascentis Urbis tempora insalubritatem. Verùm annorum progressu supercrescente terrâ, & habitantium focorumque frequentiâ, nec non perpetuo maris æstu conciliatâ aëri salubritate, ad reliquæ *Italiæ* exemplum, Palatia, maximasque ædes, juxta Architecturæ *Germanicæ* regulas, *Veneti* excitaverunt.

Namque *Gothi* multos annos dominati *Italiam*, omnia barbaris suis moribus corruperant, & pulchritudines *Romanas* omninò deformaverant. Pleraque proinde Templa, & antiqua ædificia ad ejus nationis indolem constructa adhuc apparent. Legimus Majores nostros Lege *Dauliâ* statuisse, ut omnes ædes ad æqualem altitudinem exsurgerent, sed per felix commercium (quod quidem *Venetiarum* nervus est) auctis posteà divitiis, pro arbitrio Incolarum, ad majorem vel minorem altitudinem ædificia creverunt. Omnia ferè Palatia primarios situs occupant, pulcherrimo prospectu nitent, & mari alluuntur: quin pleræque aliæ domus ripas habent ad omnium rerum deportationem Incolis peraccommodas. Quælibet insuper domus, ad exsiccanda libero aëre & sole linteamina, solare habet (*Altanam* vocant) ex lapide, vel ligno affabrè extructum, undè longissimus undequàque patet prospectus. Tecta duplicibus tegulis lateritiis sine embolo superimpositis cooperiuntur: indèque tectorum construendorum sumptus hîc minores quàm alibi. Tectum circumdat ex lapide sectili exterius laqueare, per quod aqua pluvia ex absconditis tubis descendit in puteos, ubi à fæcibus purgata, usui est hominibus quotidiano. Namque neque flumina *Venetiis* excurrunt, neque silicem terra subtus habet unde ex fontibus aquæ scaturiant: proindèque in cisternis colligitur aqua, quæ depurata multò salubriorem potum exhibet, aquis crudis ex vivo fonte exsilientibus. Quorum quidem puteorum, tam publicorum, quàm privatorum maximus numerus. Quælibet enim platea, vel campus, vel area, puteum suum habet publico plerùmque ære constructum, cùm publica necessitas postulavit. Id autem præcipuè factum est *Duce*

Fo-

Foscari, quo tempore cum per annum integrum a menſe Novembri ad Februarium uſque alterius anni nullæ fuiſſent pluviæ, triginta puteos conſtrui publicis expenſis Senatus mandavit, in quos, induſtria ſuperante iniquæ tempeſtatis ſiccitatem, aquas majoribus lintribus transferri juſſit in pauperum ſolamen. Porrò ædificiorum fundamenta in fundo lubrico, & cedente paludis poſita conſolidantur validiſſimis ſublicibus ex quercu vel robore cæſis: quod genus quidem ligni ſub aquis ævum durat. Sublicia in limum paludis magno nixu infixa, craſſis trabibus tranſverſim muniuntur: interſtitia verò teſtâ cæmentoque ſaxeo ita replentur; ut ſimul omnia veluti coagulata fundamentum faciant, omni cuique craſſiori & altiori muro ſuſtinendo ita firmum, ut nunquàm nè pilum quidem dehiſcat. Lateres & calx *Patavio*, *Tarviſio*, & *Ferraria Venetias* avehuntur. Cæteris præſtant *Patavini* lateres, tùm meliori argillâ compacti, tùm magis cocti: tùm etiam menſurâ majores: & linter unus a duobus naviculariis ductus, materiam ſæpe vehit, omni magno ædificio conſtruendo ſufficientem. De maris littore & *Brentæ* ripa ſumitur arena: ſed hæc aquæ dulcis melior. *Cadorum*, *Forum Julium*, & *Tarviſium* ex *Euganeis* ſuis montibus ligna abundè ſuppeditant, quæ in ratem conjuncta ſecundis fluminibus inde dilabuntur. *Brixia* denique aliæque *Lombardiæ* urbes ferramenta miniſtrant. Pulcherrimus autem & mirabilis viſu eſt lapis ſectilis, qui *Rovigno* & *Brionio*, (oppida hæc ſunt in littore *Dalmatico* poſita) *Venetias* vehitur. Color ejus albus, & marmori ſimilis, materia verò ita conſtans & dura, ut per ævum, glaciei ſolique reſiſtat. Ex hoc lapide fiunt ſtatuæ, quas ex vero marmore dices, ſi fuerint perpolitæ; quarum quidem pluribus, frons ſacrarum Ædium & Palatiorum ſolet adornari, unâ cum columnis altis craſſiſque ex uno lapide ſi velis cujuslibet magnitudinis, quibus lapicidina *Rovignenſis* abundat, & lapides *Iſtrii* vel *Liburnici* a Scriptoribus ſolent apellari.

Præterea aliarum ædium frontes incruſtantur *Græcis* marmoribus cæſis in Inſulis *Ægei* maris, & præſertim in Inſula *Paro*, quamquam hæc marmora non ita albicant ut cætera, longeque diſtant ab illis, quæ in lapicidinâ *Carrarienſi* in *Hetruria* cæduntur. Plurimum deindè pulchritudine commendantur lapides *Veronenſes* rubri & variegati, quibus veluti teſſeris duplici colore diſtinctis pavimenta ſtruuntur: aliaque Architecturæ opera, utpote coronæ, camini, & ſimilia formantur. Lapides tamen rubri, quos urbs *Cattaro* de *Dalmatia* mittit, pulchritudine & duritie ad pavimenta ſtruenda cæteris præferuntur. Por-

ro conclavia & Oeci non lateribus plerumque ſternuntur, ſed quâdam materiâ oculis venuſtiſſimâ (ipſam vocant *terrazzo*) quæ tempori valdé reſiſtit. Modus ipſam conficiendi hic eſt. Fragmenta laterum minutim contuſa calce conglutinantur addita una parte lapidis *Liburnici* in pulverem redacti. Hæc mixtura aliquantulum conſolidata extenditur ſuper tabulato, quod probe fuerit clavis ſolo affixum, ne incurvari poſſit, neve ſuper impoſito ponderi cedat: Indè ferro ad hoc opus opportuno per aliquot dies percuſſa calcatur ad æqualem planitiem & conſolidationem: & deinde ſuperinduitur nova alia ejuſdem generis materia, cui tamen cinnabaris, vel ſimilis alius ruber color fuerat immixtus: ſuperillinitur poſt dies iterùm aliquot oleo lini: quo fit, ut in modum expolitiſſimi ſpeculi emicet. Inſalubre quidem videtur eſſe ob frigiditatem hujus generis pavimentum, ſed nihil ipſo pulchrius, nihil venuſtius, nihil ſimul durabilius ad ſternenda conclavia hucuſque inventum eſt. Pannis vel ſpongiis ſubindè fricatur, & ad nitorem diutiùs conſervandum cannabinis telis, qua eundum eſt operitur; ita quidem, ut in Oecos hoſce intrantibus expolitiſſimum nitidiſſimumque Virginum Deo dicatarum Templum appareat. Quod ſi ob nimium frigus, vel aliquo alio caſu hujus pavimenti cruſta aliquâ in parte denudetur, facillimè per aliam ejuſdem materiæ tenuiorem cruſtam poteſt reparari. Pavimentis autem hiſce conficiendis artifices peculiares ſunt natione plerumque *Forojulienſes*. Faſtigia ædificiorum teſtudineatum ut plurimùm tectum formant, quod & faciliorem decidentis ex ſtillicidiis aquæ facit lapſum, & majus ædificiis adfert ornamentum. Tignorum faſtigii textura viſu eſt delectabilis ob trabium multitudinem tigno uno ad æquam tigni craſſitiem alteri ſuccedente. Quod quidem perutile eſt propter robur & munimentum, nullo enim pondere culmen debilitatur, nec tabulata tremunt, cum ambulatur. Porro habitationes trium ſæpiùs ſunt tabulatorum, præter tectum. Singula Conclavia caminum habent, Oeci non habent; ſapienti conſilio, ut ſcilicet e lecto ſurgentibus præſto ſit ignis, qui non ſolùm humiditates nocturno ſomno contractas exſiccet, ſed & aëris inſalubres vapores expurget. Oeci deformi ſtructurâ in figuram T conſtruebantur ab antiquis. Nunc autem regulari more rectâ lineâ protenduntur in longum ab unâ ad alteram ædis frontem, ita ut feneſtrarum aperturæ invicem ſibi reſpondeant, eodemque modo portæ, & conclavium feneſtræ ad latera ſeſe reſpiciunt: proindeque per foramina proportionata oculus undequaque liberè excurrit in proſpectum, & ſol radians omnia loca clariſſimè illuſtrat. Adde, quòd

quòd omnes feneſtræ clauduntur: non quidem ligneis telarum cerâ inductarum, vel charteis compagibus, ſed vitris candidiſſimis, & puriſſimis in cancello ligneo diſpoſitis, & ferro vel plumbo fulcitis, non ſolùm in palatiis & majoribus ædibus, ſed in omni domo vel ignobiliſſimâ. Stupent exteri in hâc re tantas divitias, quæ tamen a ſolis fornacibus *muranenſibus* exeunt. Omnes ædium frontes rectâ lineâ a culmine ad terram ducuntur, nullo ſubextantis porticus vel alterius rei impedimento. Evenit indè, ut pluvioſo tempore non inveniat homo eas porticus, quæ frequentes ſunt *Patavii* & *Bononiæ*, quò ſe recipiat. In componendis ædificiis Oeci medium frontis tenent, undè facillimè ubi ſitus ſit Oeacus, quiſque poteſt intuendo cognoſcere. In more ſunt a feneſtris podia, columnis circùm fulcita ad medii corporis altitudinem, valde commoda ad frigus æſtivo tempore captandum.

Aliqua Palatia inter frontes porticus habent plani pedis cum columnis & fornicibus, nullatenùs tamèn a fronte ædis prominentibus. Patres noſtri has porticus primi conſtruxerunt, ut merces ibi ex navibus deponerentur, in Apothecas, quæ ad latera erant, deferendæ. Portæ ſunt altæ & quadratæ: & quæ domus in ripa ſita eſt, duas portas habet aliam pro ripâ, aliam ad exeundum terreſtri viâ. Omnis commoda habitatio aream habet cum puteo ſine operculo. Aquæ enim dulces perfectiores fiunt ſub Dio, quas radii ſolares purgant impuris partibus exhalatis. Quòd ſi omnium ædium non ſolum nobiliſſimarum, ſed vel etiam minimarum ornamenta, ſupellectilem & incredibiles penè divitias ſpectemus, vix hæc omnia cogitari, ne dicam, deſcribi poſſunt. Minùs tamèn mirabimur, ſi conſideremus per mille ſeptingentos viginti annos ab Urbe condita nullâ prædatrici ac hoſtili manu *Venetias* fuiſſe unquam vaſtatas vel deprædatas, incolaſque ſemper mercaturam exercuiſſe, & in proprias duxiſſe domos, & ſervaſſe, quidquid divitiarum a tot urbibus expilatis vel everſis, vel Barbari eripuerant & venum fecerant, vel deprædati occultaverant ut venderent. Adde quod Patricii per plura ſecula Magiſtratuum honorariis, & maritimis quæſtibus res ſuas ad altiſſimum felicitatis culmen ampliavere. Et quamvis prima urbis ſecula Patrum noſtrorum parſimoniâ laudarentur, ædium tamen ornatus & ſuppellex magnificentiam ſemper oſtentaverunt. Videbis in pleriſque domiciliis pegmata auro & variis coloribus diſtincta, picturiſque excellentiſſimi penicilli condecorata. Omnes ferè domus Oecos & conclavia habent nobiliſſimis aulæis, ſericeis pannis, auratis coriis vel aliis peripetaſmatibus pro diverſitate temporis veſtita. Cubicula ornantur

nantur lectis & armariis auro & picturâ conspicuis, nec non coronis auro onustis. Argenti expositi, vasorum ex Porcelanâ, stanno, & ære infinitus prope numerus. Appensa stant in Nobilium ædibus arma, scuta, vexilla, virtutis insignia mari vel terra â majoribus parta. Hastâ positâ venum ivit aliquando cujusdam Nobilis domestica supellex, quæ cuique ex primoribus *Italiæ* Ducibus satis superque fuisset. Porrò idem & de aliis ex Plebe hominibus pro divitiarum ratione dicendum est. Nullam enim invenies casam sine armariis & lecto ex ligno nucis, pannis viridibus, tapetibus, vasis stanneis & æreis, catenulis & annulis aureis, & cochlearibus ex argento. Tanta est hujus Urbis politica disciplina. Namque cum omnium artium exercitium mirabiliter floreat, tantaque sit exterorum convenientium copia, populus pro viribus ingenii & manuum vel pro dignitate Natalium in partem intrat tam frequentis lucri: quod tamen generare tandem solet nimiam mollitiem, imo & licentiam.

Verum de præcipuis Urbis ædificiis aliqua singulariter dicamus. Palatium apud *D. Antonii* templum, quod subjacet jurisdictioni *Procuratiæ de supra* magnitudinis est extraordinariæ. Continet quadraginta circiter satis ampla conclavia, fuitque diversis temporibus domicilium aliquorum Principum, inter quos *Ferrantes Sanseverinus* Princeps *Salerni* ibi exilii sui fortiter tulit infelicitatem. Hujus Palatii prospectus longissime extenditur ad dexteram quidem ultra omnem circumcirca paludem, & ultra Maris Castella quindecim milliarium spatio ad *Fossam Claudiam* usque; & ad sinistram ad magnificum illud ædificium, vulgo *Dogana del Mare*. Magnitudini ædis hortus, & area respondent. Haud longo intervallo juxtà templum S. *Joannis dei Furlani* surgit aliud antiquum, sed commodissimum Prioribus ejus Templi proprium. Habet a tergo hortum amplissimum, & pulcherrimum. Non longè a *Ponte della Madona* propè Xenodochium *la Pietà* videbis duo Palatia Familiæ *Gritti*, alterum quorum a *Baptista Moro* Veronensi exterius fuit adornatum. Habet hæc Nobilissima Gens *Grittia* plura alia Palatia, inter quæ memorari debent illud propè Pontem *de la Paglia*, aliud apud S. *Franciscum de la Vigna*: quod a legato *Romani* Pontificis solet habitari. Magnificum est Palatium *Capelli* situm in rivo Ducalis Basilicæ. In Campo S. *Mariæ Formosæ* Palatium habent pulcherrimum Nobiles *Vitturi*, nec non aliud marmore *Malipieri*, * ac pro S. *Cantianum* cernitis Palatium *Vidimani* famosum architectura *Baldiseræ Longenæ*, & è Regione *Ruzzini* recentis operis, pulchrâ fronte, & diviti ornamento. Prope

* Vide fig. pag. 348.

pe S. *Samuelem ad magnum Canalem* adeſt quoque egregium illud Palatium *Lin* * , tam interna quam externa contemplatione dignum , obque architecturam *Sebaſtiani Mazzoni* fama celebratum. Propè autem Palatium *Malipieri* , attende ad illud *Grimani* ad methodum Romanam renovatum ; pulcherrimo cum Atrio , & de pluribus antiquis integræ dimidiæque eminentiæ ſtatuis , additis circumundique inſcriptionibus opus oppidò admirandum. Ejus ſcalarum fornices ornantur picturis & albario opere : ſuperiora pavimenta egregiè diſpoſita *Liburnici* lapidis & laterum commixtâ materiâ nitidiſſimè lucent. Cameræ excellentiſſimis illuſtres picturis , quarum unam , (*Pſicem* ſcilicet,) pinxit *Franciſcus Salviati*. Ericarpi autem opus ſunt *Camilli Mantuani* , & *Joannis Utinenſis* opus albarium , quo cubiculum unum præ cæteris integrè veſtitur.

* Vide fig. pag. 346.

Parvâ diſtantiâ invenies Palatium *Zorzi* candidis marmoribus ſuperindutum. Ad dexteram autem propè pontem illud *Priuli* , in quo aſſervantur illuſtres picturæ *Jacobi Palmæ* ſenioris , qui a Nobiliſſimâ hâc Familiâ honorificè & liberaliter habitus , ibique diù hoſpitio exceptus , picturis quantumvis pretii hoſpitium ſuum condecoravit. In rivo S. *Laurentii* videbis aliud Palatium *Zorzi* opus perpulchrum *Alexandri Vittoria* pictis iconibus marmoreis & albariâ arte conſpicuum. Ab altera parte apparent magnifica ædificia *Capellorum* maximi ſumptus ; indèque non multis paſſibus elevatur Palatium *Juſtiniani* pretio & opere mirabilibus. Apud S. *Benedictum* ſitum eſt ampliſſimum Palatium *Peſaro* dignum quidem , ut ad magni Canalis ripam nobiliſſimè ſedeat. Nec minus magnificum eſt Palatium *Loredano* ad S. *Stephanum* tùm recentiori architecturâ , tum picturarum & albarii operis ornamento , tùm etiam quod ejus facies a *Joſepho Salviato* fuerit depicta. In vico vulgò *Calle di S. Mauritio* ſitum eſt illud pulcherrimis picturis ditiſſimum a *Nicolao del Ponte Venetiarum* olim Principe erectum. Parvâ inde diſtantiâ vides aliud ſatis commodum & perpulchrum *Giavarini*. In Campo *dei Crozecchieri* notari meretur illud *Zeni* extructum ad exemplum , quod *Franciſcus Zeno* ſui temporis celeberrimus architectus propoſuerat imitandum : & ultra pontem illud *Contarini* opus *Dulcis* , indèque illud *Juſtiniani* †. In Canali regio vulgo *Canaregio* oculis objicitur illuſtre & ſpectatum Palatium *Cavalli* ‡ ad S. *Vitalem* , & ibi è regione S. *Jobi* nobiliſſimum eſt Palatium , quod *Gonellorum* olim , nunc autem *Valieri* nuncupatur , ejuſque aula inter maximas Urbis numeratur. Tranſi ad S. *Ubaldum* vulgo *San Boldo* ut videas illud *Grimani* * ; & ad S. *Paulum* illud *Cornari* † plurimis pretioſis ornamentis nitens, & juxta

† Vide fig. pag. 339.
‡ Vide fig. pag. 328.
* Vide fig. pag. 342.
† Vide fig. pag. 332.

ta exemplar *Michaëlis a Sancto Michaële* ædificatum, & quidem ita illustratum, ut plane nihil deesse videatur. Nec non illud *Bernardi* cujus faciem *Josephus Salviatus* pinxit, itemque illud *Soranci* in eadem plateâ. Nec silentio omnino hic prætereundum nobile & insigne Palatium *Zenobio* *, ad rivum *Carminis*: cujus fabricator fuit clarus ille *Antonius Gasparus*. In conspectu Ecclesiæ vulgò *i Carmini* admirari debet Palatium *Foscarini* plurimis antiquitatibus repletum. Prospectus Campi S. *Stephani* †, qui hic oculis hauritur, non satis digne verbis exprimi potest, propter ingentia & ampla ibi constructa ædificia. In Paroecia S. *Pantaleonis*, *Loredani* ‡ suum ædificavere multis antiquis statuis exornatum. In illa S. *Marinæ*, * *Emii Mocenighi*, *Sorancii* & *Bragadini* sua habent Palatia magnitudine & ornatu conspicua. Valde admiranda sunt illud magnificum ac inclytum *Pisani* † juxta S. *Stephanum*, & illud *Molino* in Paroeciâ S. *Basilii*, & propè S. *Gervasium* illud *Barbarigo* ‡ ad exemplar *Sansovini* restitutum: & in eadem Paroeciâ illud *Nani* picturis & albario opere ab *Alexandro Vittoriâ* exornatum. Propè S. *Aloysium*, vulgò *Sant-Aloise* multa sita sunt Palatia, inter quæ valdè nobile est illud *Michiëli*, nec non alterum *Negroni*. Memorari meretur Palatium *Tiepolo*. Namque cùm ætate esset ferè consumptum arte haud priùs cognitâ, totâque admirante Urbe subtus fuit reædificatum, superiori ejus parte eodem tempore habitatâ. Fuit autem hoc *Sansovini* adinventum, quòd scilicet stante ædificii superiori parte fulcris suffulta nova jacerentur fundamenta nullo superius habitantium incommodo. Quo invento idem *Sansovinus* Templum S. *Marci* servavit ne caderet: tunc cum ejus concameratum fastigium ruinam, omniaque cætera in præceps secum trahere minaretur, ita ut nemo alius huic operi auderet manum adjungere, ipse desperatum agressus est opus, & maximâ cum laude, senatusque incredibili applausu, non solùm, quod ruebat, sustinuit, sed & reparavit, & reædificavit. Apud S. *Hieronymum* Palatium *Moro* in formam magni castelli exstructum opus est *Leonardi Mori*. Ædificia *Grimana* habentur pro pulcherrimis in Paroecia *i Servi*, nec non illa *Vendraminorum* pluribus optimorum Artificum picturis & sculpturis referta. Videbis ibi excellentissimos labores *Giorgionis* a *Castro Franco*, *Joannis Bellini*, *Titiani*; *Michaëlis Angeli*, aliorumque celeberrimorum. In propinquo sedet justæ magnitudinis *Palatium Ducum* olim *Urbini*, quod Duces hi juxta aliorum Principum morem, solebant habere ad oblectationem, cum *Venetias* venirent. Domus *Donata* ædificia possidet magnifica apud S. *Leonardum*, & *alla Madalena*. Inter magis admiranda eo-

* Vide fig. pag. 360. & 361.

† Vide fig. pag. 347.

‡ Vide fig. pag. 347.

* Vide fig. pag. 347.

† Vide fig. pag. 352.

‡ Vide fig. pag. 353.

eorum Palatiorum, quæ ſuper ripâ ſedent, eminent illud *Muti* ad S. *Caſſianum* pulcherrima ſtructura, & marmoreis ornamentis, & aliud *del Buon Huomo* in eodem rivo in conſpectu S. *Apollinaris*. Magnâ præditum majeſtate, eſt item Palatium *Donati* in loco *le Fondamente nuove* è conſpectu *Murani* a *Leonardo Donato* olim ædificatum. Nobiliſſimum item eſt illud *Moroſini* * ſuper rivo S. *Cantianì* cum areâ latâ & ſpatioſâ, lateribus pavimentatâ, marmoreis candidis faſciis interdiſtincta, altis & magnificis ædibus circumcincta. Vides ab uno latere continuum ordinem conclavium ſumptuoſa ſupellectile nitentium, vides ipſorum & Oecorum concamerationes egregiis picturis conſpicuas. Ejus facies ſuper canali penicillo *Pauli Veronenſis* & pervenuſta Architecturâ ſuperbit. Podia, ſculpturæ, aliaque *Romanì* moris ornamenta non deſunt, neque oſtium majus, per quod pedeſtri viâ ingreſſus patet, tranſeas feſtinanter, ſed ſiſte gradum, ut admireris Iconem *Herculis*, recentis albarii picturam; & dicitur præcipuum fuiſſe *Titiani* opus, cum hac inſcriptione,

* Vide fig. pag. 349.

Ἡρακλῆς Παῖς Διός.

Id eſt,

HERCULES FILIUS JOVIS.

More ſcilicet majorum, qui idem ſimulacrum ſuper Domus oſtiis ponebant, utpote Heroicæ virtutis typum, ut ſcilicet homines per ſtudia & labores imitarentur ad gloriam. Super eodem rivo S. *Apoſtoli* ſitum eſt Palatium *Venieri* magna machina, cum nobili areâ ornatâ ſtatuis ſuper ſtylobatis: quarum una Ruſticum naturali ſtaturâ majorem repræſentat ſymphoniaco utriculo ludentem. Typus eſt oblectamenti, ſeu veræ voluptatis: alia Fæminam Bacchantem ejuſdem magnitudinis exhibet cum parvo Satyro preſſantem uvas: alia *Apollinem* cum *Daphne*, quæ transformatur in laurum: ſignum aviditatis illicitæ: alia *Bacchum* adhuc infantem, qui uvas comedit ſuper ſcopulo: & hæ ſtatuæ ſcalpello *Bernardi Falconii* Mediolanenſis ſculptæ fuerunt. Vides inſuper præter alias plures armatum hominem, qui clavâ minatur Draconi ejus genibus intorto: quod oſtendit vilia eſſe contemnenda. Vides Fæminam nudam cum duplici cornucopiæ, altero recto, altero autem quod adimpleri promitit. Signum eſt liberalitatis. Has *Clemens Molli* Bononienſis ſculpſit.

Neque debet præteriri Palatium Comitum *Vidimanorum* poſitum in tractu S. *Cantiani*, cum vicum ingrederis vulgò *i Biri*, notandum oppidò ſtructurâ, conclavium numero, magnificis

Oecis, facie, marmoribus, & singulari architectonico opere, nec non statuis, picturis, aliisque ornamentis, quibus intus ornatur. Apud S. *Felicem* habes Palatium *Priuli* ad recentem methodum ædificatum, cum duabus frontibus super aquis, altum, magnum, pulcherrimum, & pretiosis dives marmoribus. Prope istud apparet recentis itidem operis illud *Anselmorum.* Elevatur autem illud Nobilium *da Lezze** in ripâ *la Misericordia*, circuitu magnum, nobilissimis habitationibus copiosum, cum facie ornatissima marmoribus & sculpturis, præcipuè autèm venustissimis mulierum capitibus positis in fenestrarum, podiorum, & camerarum fornicibus. Circum aream Hermas plures suis stylobatis impositos sculpsit, & in muro collocavit *Franciscus Caurioli.* In tractu *Madonna dell' horto* conspicienda veniunt Palatia *Formenti*, & *de la Vecchia.* In *Canareggio* super ripâ S. *Job*, & *del Gheto* nitent illa *Nani*, *Valieri* † *Savorgnani* ‡, & *Suriani* ⟂ superbæ ædes cum magnis & voluptuosissimis hortis. Apud S. *Hieronymum* videbis illud *Zenorum*, amplitudine conspicuum. Imminet Templo Paroeciæ illud *Labia** pulchrum structurâ cum nobili areâ & regià intus supellectile. In orâ *Rio Marino* dignissimum est illud *Soranziorum;* structura, marmoribus, magnificis conclavibus, amplissimis Oecis, divitiis omnibus, præsertim autem pretiosis picturis verè magnificum. Proximè apparet Palatium *Gradenigo* novi operis & perpulchri, ob singularem architecturæ ordinem, marmorum & sculpturarum venustatem, aliaque non pauca ornamenta. In vico S. *Lucæ* in Paroecia S. *Benedicti* magnificè stat Palatium *Contarini* † architecturâ admirandum, cujus frontem pretiosa marmora adornant, cujus nobilem & amplam aream magnificæ scalæ cum majestate excipiunt. Ad eundem vicum progressus invenis è conspectu S. *Paterniani* aliud Palatium identidèm *Contarinorum* ‡ *del Bovolo*, id est de *Cochleâ.* Mirabilis enim & rarissimi operis est hujus Palatii scala versatilis marmorea, cum columnis & cameris, laminis plumbeis undique cooperta, per quam ascenditur & intratur in multa conclavia usui pervia: Architectonicæ egregius labor maximi sumptus. Cernes alia duo in rivo S. *Pantaleonis*, primum quidem *Delphinum* Romana methodo fabricatum, *Zenorum* alterum. Apud S. *Gervasium* surgit illud *Basadonna* pulcherrimæ formæ, commodum valdè habitationibus, & ornamentis pervenustum. *Georgii* suum habent propè S. *Basilium* super ripâ *le Zattare* è conspectu la *Zuecca*, architecturâ, conclavibus, & ornatu egregio conspicuum.

Quoniam verò nimis tædiosum esset tantæ Urbis singula Palatia

* Vide fig. pag. 345.
† Vide fig. pag. 357.
‡ Vide fig. pag. 355.
⟂ Vide fig. pag. 356.
* Vide fig. pag. 344.
† Vide fig. pag. 329.
‡ Vide fig. pag. 331.

tia velle singillatim numerare, aliquorum tantùm, quæ majora & omnium pulcherrima habentur, mentionem faciemus. Sic enim exteri peregrinatores, qui partem tàm magnificam admirantur, in curiositatem totius videndi facilè accenduntur. Novi præterea, idque experientiâ comprobatum habeo, quod cum tot pulcherrimarum ædium conspectu oculus satiari non possit, id multo minus fiet legendo, quæ de ipsis scribuntur. Omnium itaque Palatiorum, quæ in magno Canali sita sunt & quæ architecturâ, marmoribus sculptis, magisterio, magnitudine & immensis propè sumptibus maxima & magnificentissima sunt, quæ sequuntur, cæteris palmam præripiunt: pleraque ad praxim antiqui *Vitruvii*, a cujus regulis optimo architectori non licet discedere. *Lauredanum* itaque Palatium magni corporis & ingentis altitudinis, insulari gaudet situ, faciem habet *Græcis* marmoribus coopertam, magnis cum fenestris, quæ columnis operis *Corinthiaci* hinc indè adornantur, plurimaque habent anteriora & interiora conclavia & cubicula, Oecumque amplissimum. Hoc tamen Palatio illud *Grimanorum* * adhuc est magnificentius, sive spectes regias verè habitationes, sivè operum divitias, signa, Ectypa, Prostypa, sivè cætera omnia a fundamentis ad fastigium, magnificas habet in areâ columnas, ejusque facies pretiosissimis nitet operibus *Michaëlis de S. Michaële*, qui tantæ molis fuit architectus.

* Vide fig. pag. 341.

Neque præteriri debet Palatium *Delphinorum* † quod primum post *Lauredanum* architectonicis regulis in Urbe fuit conditum. Amplum soli spatium occupat, aream habet in medio, porticibus *Romano* more circumdatam, exteriori pulcherrimâ facie nitet, interioribus plurimis conclavibus abundat, gloriaturque fabricatore *Sansovino*.

† Vide fig. pag. 356.

Verùm enimvero Palatium *Cornaro* ‡ situ, magnificentiâ, magnitudine, marmoribus, structurâ symmetria nulli alteri cedit, intèriorem magnam aream habet *Romanis* ornamentis perpulchram, utilissimo opportunoque invento tantæ capacitatis est, ut hinc quemlibet Principem Cardinalem cum comitatu, inde Fæmineum genus cum marito & domesticâ Familiâ commodissimè continere possit. Altitudinis tantæ est, ut per omnem paludem ipsi ipsiusque undique pateat prospectus. Ejus facies duplicibus exornata columnis, superiùs quidem *Ionici* operis, subtus autem *Rustici*, cum nobilibus aperturis plenum magnificentiâ offert prodigium. Ante podium ripa, quâ per gradus ascenditur, tam magnæ molis auget majestatem. Ejus autem exemplar fecit *Sansovinus*. Quis igitur non admirabitur majus adhuc hisce Palatiis illud *Foscari* *? sive situ sive amplitudine; antiqua autem commodulatione & more *Germano*. Sedet

‡ Vide fig. pag. 333.

* Vide fig. pag. 338.

det in angulo rivi S. *Pantaleonis*, ubi magnum Canale ad ſiniſtram flectit: hînc itaque ad *Rivumaltum* uſque proſpicit, indè *la Carità* proximè ſcilicet ad plateam S. *Marci*: mirabilis enimverò proſpectus. Proindeque anno 1574. a Senatu præ cæteris electum eſt, ut Regem *Galliæ* hoſpitem exciperet: cum præſertim andronum, & conclavium a *Paride Bordone* pictorum numero & magnificentia nulli vel maximo Urbis ædificio cedit. Reſpublica hoc Palatium antea a *Juſtinianis* emerat, ut dono cederet Marchioni *Mantuæ*. Poſtea verò ad Rempublicam rediit, ipſumque a Senatu tandem emit Dux *Foſcari*, & ſuperædificando altiùs tulit, ut appareret ad propinquas *Juſtinianorum* nobiliſſimas ædes amplius non pertinere. Ad hoc proxime accedit inſigne illud Palatium *Balbi* †, cujus tum internus tum externus intuitus ſpectatorem ſtupore afficit, magiſque nobilitatur ob architecturam *Andreæ Palladii*. Vides ibi quoque Palatium *Bonorum* novi operis ornatum marmoribus,& feneſtris juxta morem *Romanum*. Adde his illud *Priuli* apud S. *Jacobum dal Orio* antiquum, in forma Caſtelli, ſtructura Germanica fabricatum; illa *Grimanorum*, & *Mocenigorum* * apud S. *Samuëlem*; nec non illud *Cornariorum* ‡ rudi ſaxo acuminato conſpicuum in loco *Corte del Albero*.

† Vide fig. pag. 325.
* Vide fig. pag. 350.
‡ Vide fig. pag. 334.

Porrò peculiarem meretur intuitum Palatium *Cornarium de la Piſcopia*. Fuit enim illius *Federici Cornarii*, cui magnanimitas *Magni* cognomen dedit. Is fuit ille *Federicus*, qui *Petro* Cypri Regi a conſiliis intimus, ipſius nomine *Valentiam* filiam *Bernabo Viſconti* deſponſavit. Is fuit, qui ipſi Regi *Petro* ſeptuaginta aureorum millia mutuo dedit, pro quibus *Federico* ejuſque deſcendentibus Rex dono ceſſit Caſtellum *Piſcopiæ* in *Tractu Limico* apud flumen *Alico*, ubi totius Regni optimum ſaccharum colligitur. (Undè huic nobiliſſimæ familiæ cognomen *Piſcopiæ*) Caſtellumque *Morſum* cum aliis feudis: nec non ſtemmata *Luſignana* & inſignia Equitum *Cypri*.

Hujus *Federici* generoſa proles Palatium hocce ad recentem methodum refecit, plurimumque exornavit, nobiliſſimiſque conclavibus auxit: inter quæ ſex vides recto proſpectu ſuccedere regio ornatu condecorata. Longitudo Oecorum eſt 20. circiter paſſuum, latitudo ſex ſuperat. Corona, quæ ipſum cum majeſtate undique ambit, mirabilis eſt ſculpturæ. Facies columnis & aliis admirandis operibus pulcherrima, inſculptum habet ad dexteram ſtemma *Luſignanum*, & ad ſiniſtram antiquum illud Gentis *Cornariæ*, cum enſe & inſcriptione characterum antiquiſſimorum, quibus legitur: PRO TUENDA INTEGRITATE: quæ fuerunt Equitum *Cypri* inſignia. Ad latera ho-

rum

rum stemmatum sedent super duos Leones statuæ duæ, quarum una Urbem *Venetiarum*, altera Justitiam repræsentat. Prior in manu habet dextero genu innixam columnam cum Leone superstante: signum fortitudinis, ut ostendatur scilicet, regnante Justitiâ *Venetam* Rempublicam contra quamlibet hostium vim semper futuram fore fortissimam. Ponè has duas statuas apparent adhuc duo Gentis *Cornariæ* antiqua stemmata. Inferiùs autem ad dexteram vides *Davidem*, ad sinistram *Goliathum* saxo percussum, quibus significatur, a virtute vitium superari. Hæc porrò & cætera omnia ornamenta ex marmore sunt. Stemmata item propriis coloribus distincta. Ectypa, aliæque pulcherrimæ figuræ, omnia denique deaurata. Cogita nunc quantus ex marmore, auro, & colorum venustate sit hujus faciei nitor.

Quoniam verò peculiarem hujus Palatii narrationem fecimus, erit è re, de Palatio *Cavazza* aliqua singulatim dicere: situm autem est ubi magnum Canale apud S. *Luciam* hinc & inde latissimâ ripâ continetur. Angustum exterius intuenti apparet, trium tamen tabulatorum, præter minora aliquot conclavia in inferiori domus parte constructa, superior autem habet plurimas habitationes satis superque nobiles. Illæ quidem mediæ domus condecorantur magnis portis encarpo, marmore nigro & candido & lapide *Lydio* ornatis. Camini egregio albario opere lucent: cæteraque omnia singularis nitoris, cum supellectile ditissimâ, cujusdam privati desiderio & magnificentiæ respondent. Tertium altius tabulatum pro dignitate adornatum longissimo hinc & inde gaudet paludum prospectu ad montes *Euganeos* usque. Verùm enimvèro hujus Palatii atrium omnem occupat admirationem. Egregiâ namque symmetriâ, loci deliciarum facti sunt, qui destinari solent ad domesticos usus. Porticus, per quam patet ingressus, raris eximiisque operibus quinario ordine dispositis illustratur. Stupent oculi, animusque, cum è vestibulo vident Cœli & parietum altitudinem & candorem; albaria opera, encarpos, signa, pleraque venustissima alia, quæ per accommodatos aditus in prospectum centum passuum delectabili varietate undique repræsentantur. Hinc & indè in loculamentis stant statuæ. Super statuas, capita & Hermæ: paulò inferius ovata ornamenta, cypressina auro induta, & ab Equite *Liberi*, *Petro Vecchia*, *Ruschio*, aliisque celeberrimis Urbis pictoribus depicta. Sequitur marmorea lamina sculpta: subtus qua admiraris dimidiatæ eminentiæ egregias statuas præstantissimi laboris, antiqua capita in stylobatis, magnas tabulas excellentis penicilli, quarum quatuor *Gorgonii* diligentissimâ manu elabo-

ratæ perfectam hominum ſtaturam exprimunt. Nec deſunt magnis feneſtris ſculpturæ, nec a ſuperiore laqueari pendentes octanguli.

Ad dexteram in magno loculamento vides *Neptunum*, cujus pedes Delphinus circumvolvit: & in ſolo jacent duo Leones ex marmore puro. Ad ſiniſtram, non tamen recto porticus ingreſſu, vides puteum octangularem ex lapide *Veronenſi* vaſis Myrthi circumornatum. E conſpectu ſurgit biſida ſcala, ejuſque vacuum converſum eſt in cryptam tot tamque diverſarum genere & colore concharum, ut non ſolum ſui venuſtate, ſed & diſpoſitionis ordine animum in admirationem trahant ob varios aſpectus, & perfectæ humanæ ſimilitudinis vultus, quos repræſentant. E regione in loculamento Margaritarum conchis ſuperinduto ſitæ ſunt duæ unius marmoris ſtatuæ, *Adonis* ſcilicet & *Veneris*, quæ ſe invicem amplexantur, mirabiliter ſculptæ. Cryptam claudit ferratum cancellum liliatum & auro indutum: & ne quid magnificentiæ deeſſet, ſcamna ibi & ſubſellia pannis ſericeis altera parte villoſis cooperta ſunt: Oſtia item per quæ ulteriùs patet aditus, pretioſis aulæis ex duplicis texturæ ſericeo opere veſtiuntur. Hinc progrederis in Oecum operis albarii, ubi ſuper menſis lapidis *Lydii*, Ebani, vel Eboris diſpoſitæ jacent ſculpturæ antiquæ, & recentes, æra mirabili arte fuſa, aliaque perrara: inter quæ Os Iſchion integrum, cum integro crure Gigantis improbæ magnitudinis. Inter portas quatuor ſunt magna ſpecula, quæ duplicia reddunt objecta, duplici itidem perfectâ & naturali magnitudine in rectam lineam diſpoſita. Sequuntur aliæ porticus, & aulæ cæteris pro dignitate reſpondentes, pretioſiſſimiſque picturis, ſtatuis, omniſque generis operibus undique condecoratæ. Sed quis dignè poſſet omnes hujus Palatii pulchritudines recenſere? Quæ diximus ſatis erunt, ut Lector intelligat hujus Urbis Palatia quamtumvis exterius magnifica, omnem magnificentiam interius adhuc ſuperare. Progredere ad S. *Hieronymum*, ut videas illud *Moreſinorum* * cum pulchrâ areâ, ad S. *Joannem Decollatum* illud *Bemborum* marmoribus veſtitum ad S. *Stae* illud *Bellonorum* admirandæ ſtructuræ, cujus faciem marmoream plurima Leonum capita integræ eminentiæ ſuſtinere videntur. Proximè elevatur recentis architecturæ Palatium *Peſaro* † cum columnis & areâ, & porticibus ornatiſſimis. Adde his Palatium *Fontana* apud S. *Felicem*, *Ciuranum* ad S. *Joannem Chryſoſtomum*, *Bembo* ‡ ad S. *Salvatorem*, *Viari* ad S. Benedictum, *Badoeri* ad S. *Moyſem*, Palatium *Battagiæ* ⸸ ad magnum Canalem, architectura *Baldiſſeræ Longenæ* famoſum, & alia plurima, admiranda omnia, quæ magnum Canale coronant.

* Vide fig. pag. 329.
† Vide fig. pag. 351.
‡ Vide fig. pag. 327.
⸸ Vide fig. pag. 326.

Me-

Memorari tamen adhuc merentur Palatium *Guſſonorum* * propè Pontem *da Noale* dives Andronibus, ad exemplar *Michaëlis* a S. *Michaële* ædificatum; illud *Tronorum* juſtæ ſymmetriæ & nobilis aſpectus apud S. *Euſtachium*: aliud *Contarinorum delle Torricelle* opus *Joannis Baptiſtæ*, pictum a *Paulo Veronenſi*; & illud *Capellorum* in rivo S. *Pauli*, recentis & ornatiſſimæ commodulationis, & proximè illud *Bernardorum*. Vide præterea & alia, quæ habent *Contarini* † apud S. *Gervaſium*, *Grimani* ‡ apud S. *Vitum*, *Foſcari* ‖ apud S. *Simeonem*.

* Vide fig. pag. 343.
† Vide fig. pag. 330.
‡ Vide fig. pag. 340.
‖ Vide fig. pag. 325.

Neque prætereundum Palatium *Piſani* * apud S. *Mariam Zobenigo* modi *Germanici*, ſed formâ durabili, & firmâ. *Bonaldi* apud S. *Euſtachium*, & proximum *Giunti* expolitum oppidò & commodum. Quod ſi illud *Concinni* attentè intuearis, dices ipſum nulli cedere, ſive exteriorem faciem, ſivè interiorem domum conſideres. Adde his illud *Juſtinianorum* ad S. *Moyſem*, & *Cucinæ* †, architectura *Andreæ Palladii* clarum, nec non *Fini* ‡, aliaquè, quorum memoria impræſentiarum mihi deficit.

* Vide fig. pag. 335.
† Vide fig. pag. 335.
‡ Vide fig. pag. 337.

In Inſulâ *la Giudecca* aliqua adhuc, operæ pretium eſt, viſum ire Palatia: inter quæ duo cætera antecellunt aliud *Danduli* in capite inſulæ magnum ſitu, copioſum Andronibus, areis, podiis, & hortis: *Vendraminorum* ‖ aliud ad extremum ferè Inſulæ calcem.

‖ Vide fig. pag. 358.

Talia tot tantaque ædificia majoris minoriſque momenti ampliſſimam & magnificentiſſimam Urbem formant. Quæ quidem rectè conſiderantibus non una civitas, ſed plures inter ſe ſeparatæ & poſtea conjunctæ videntur. Namque ſi Urbem ſicuti fuit dum fundaretur, ſine pontibus ſcilicet, mente concipias, videbis diviſam in magna caſtella plureſque Civitates ſuis canalibus circumdatas, ad quas tranſitus factus eſt per pontes fere 450. pleroſque lapideos, qui ipſas in unam conjungunt, ſic ut in omnes pedibus ire liceat. Quin Tabernæ officinæque per omne ipſius corpus undique & ubique frequentes, non unam, ſed plures Civitates oſtendant. Quælibet inſuper Paroecia non unam, ſed plures Eccleſias habet, forum cum puteis, furnos, vini vendibilis apothecas, ſarcinatores, pomarios, pharmacopolas, ludi magiſtros, lignarios, ſutores, omnia denique ad humanum uſum neceſſaria, & quidem abundantiſſimè: ita ut exiturus de una Paroecia in proximas putet procul dubio ſe in aliam Urbem intrare. Sicque omnibus in hac Urbe peregrinantibus magna cum admiratione fatendum, hanc urbem non ſolum rebus ad voluptatem ſpectantibus gaudere, ſed & infinitis aliis emolumentis & commodis abun-

abundare: Quæ commoda præſertim ex multitudine Canalium navigabilium oriuntur, inde enim fit, ut ibi opera & labore unius hominis tantum effici queat, quam decem alibi.

Adſunt plurimæ Bibliothecæ publicæ rariſſimis libris copioſiſſimæ, recentibus, ac antiquis ad ſtudioſorum commodum. Inter quas præter jam dictas S. *Marci*, ac S. *Georgii* Majoris, & ſuo loco deſcriptas, celebriores ſunt *Dominicanorum* S S. *Joannis* ac *Pauli*, quæ non multum inferior èſt illa S. *Georgii*. *Theatinorum* in S. *Nicolao* de *Tolentino*; Canonicorum S. *Salvatoris* in S. *Antonio* Regionis *Caſtelli*. Clericorum Regularium de *Somaſca* in Templo S. *Mariæ* de Salute; *Auguſtinianorum* S. *Stephani*; *Carmelitarum* Diſcalceatorum, aliorumque Bibliothecæ.

Non minores ſunt numero ac valore privatæ Bibliothecæ, quarum aliquot tantum celebriores referemus, Nobilium inquam, *Jo. Bapt. Cornelii* (*Piſcopiæ* dicti), *Antonii Nani* de Judeca, ac *Philippi Boni*, *Marini Zani*, ac *Joannis Cornelii* de S. *Paulo*. Celeberrima tamen ob librorum raritatem eſt Domus *Sarotæ* de S. *Felice*, quæ ultro ac liberaliter ter quavis hebdomade publico commodo aperitur, die ſcilicet Lunæ, Mercurii, ac Veneris, ac omnibus permiſſum eſt ſtudere ac tranſcribere. Imo diebus Lunæ habentur ſæpiſſime congreſſus de rebus Philoſophicis ac Mathematicis.

Inſuper figuræ nonnullorum præcipuorumque Ædificiorum privatorum ſupra memoratorum hîc videri poſſunt, & ut Lector eas primo intuitu invenire poſſit, Indicem his ſecundum literarum ordinem, ne de fama & auctoritate cujuſdam aliquid detrahatur, præfigimus ſequenti modo.

Palazzo





Palazzo BALBI. Palatium BALBI. *Palais de* BALBI.

Architectura Andreæ Palladio.

1. Palatium Foscari.



Palazzo **BATTAGIA**, *sopra Canal Grande.*

Palatium **BATTAGIÆ**, ad Magnum Canalem.

Architectura Baldassaræ Longenæ.

Palais de **BATTAGIA**, *sur le Grand Canal.*



Palazzo BEMBO, *sopra Canal grande.* Palatium BEMBI, ad magnum Canalem. *Palais de* BEMBO, *sur le grand Canal.*

Architectura Sebastiani Serlio.



Palazzo CAVALLI, *à* S.VITALE, *sopra Canal grande.*

Palatium CAVALLI, prope S.tum VITALEM, ad magnum Canalem.

Palais de Cavalli, proche de St. Vital, sur le grand Canal.




Palazzo CONTARINI, *a* S. SAMUELE.

Palatium CONTARINI, prope S^tum. SAMUELEM

Architectura Sansovini.

Palais de CONTARINI, *pres de* S^t. SAMUEL.

1. 2. 3. Tria Palatia Mauroceni.



Palazzo CONTARINI, a S. TROVASO, sopra Canal grande.

Palatium CONTARINI, prope S. S. GERVASIUM. & PROTASIUM, ad magnum Canalem

Architectura Vicenzi Scamozzio.

Palais de CONTARINI, proche des S.S.GERVAISE & PROTAISE; sur le grand Canal.



Palazzo CONTARINI, *à* S. VITO, *sopra il Canal grande.*

Palatium CONTARINI, prope S.tum VITUM, ad magnum Canalem.

Architectura Angeli Procaccio.

Palais de CONTARINI, *pres de* S.t VIT, *sur le grand Canal.*



Palazzo CORNARO, *à* S. POLO, *sopra il Rio.*

Palatium CORNARO, prope S.tum PAULUM, ad Rivum.
Architectura Michel S. Michiele.

Palais de CORNARO, *proche de* S.t PAUL, *sur le Ruisseau.*



Palazzo CORNARO *a S. MAURITIO.* Palatium CORNARO, prope S.^{tum} MAURITIUM. *Architectura Vicenzi Scamozzio.* *Palais de* CORNARO, *pres de St MAURICE.*



Palazzo CORNARO, in CORTE DEL ALBERO, sopra Canal grande.

Palatium CORNARO, in CAVÆDIO ARBORIS, ad magnum Canalem.

Architectura Sansovini.

Palais de CORNARO dans la COUR DE L'ARBRE, sur le grand Canal.



Palazzo CUCINA, *sopra il Canal grande.*

Palatium CUCINÆ, ad magnum Canalem.

Architectura Andreæ Palladio.

Palais de CUCINA, *sur le grand Canal.*



Palazzo DOLFINO, *sopra Canal grande.*

Palatium DOLFINO, ad magnum Canalem.

Architectura Sansovini.

Palais de DOLFINO, *sur le grand Canal.*



Palazzo FINI, *sopra il* CANAL GRANDE.

Palatium FINI, ad MAGNUM CANALEM.

Architectura Alex. Tremignon.

Palais FINI, *sur le* GRAND CANAL.



Palazzo FOSCARI, sopra il Canal grande. Palatium FOSCARI, ad magnum Canalem. *Palais de FOSCARI, sur le grand Canal.*



Palazzo GIUSTINIANI, a S. VITALE, sopra il Canal grande.

Palatium JUSTINIANI, prope S.tum VITALEM, ad magnum Canalem.
Architectura Baldasare Longenæ.

Palais de JUSTINIANI, pres S.t VITAL, sur le grand Canal.



Palazzo GRIMANI, *sopra Canal grande.* | Palatium GRIMANI, ad magnum Canalem. | *Palais de* GRIMANI, *sur le grand Canal.*

Architectura Sebastiani Serlio.



Palazzo GRIMANI, *a* S. LUCA.

Palatium GRIMANI, prope S.tum LUCAM.

Architectura Michel San Michiele.

Palais de GRIMANI, *proche de* S.t LUC.



Palazzo **GRIMANI**, *à S. POLO sopra il Canal grande.*

Palatium GRIMANI, Prope S^tum^ PAULUM, ad magnum Canalem.

Architectura Lodovici Lonbardo.

Palais de **GRIMANI**, *pres de St PAUL sur le grand Canal.*



Palazzo GUSSONI, al PONTE DI NOALE, sopra Canal grande.

Palatium GUSSONI, prope PONTEM NOALE, ad magnum Canalem.

Architectura Michel S. Michiele.

Palais de GUSSONI, pres du PONT DE NOALE, sur le grand Canal.



Palazzo LABIA, *à* S. GEREMIA.

Palatium LABIA, prope S^tum^. JEREMIAM.
Architectura Andrea Cominelli.

Palais de LABIA, *proche de* S^t. JEREMIE.



Palazzo **LEZZE**, *alla* **MISERCORDIA**.

Palatium LEZZE, prope MISERICORDIAM.

Architectura Baldiseræ Longenæ.

Palais de **LEZZE**, *proche de la* **MISERICORDE**.



Palazzo LIN, à S. SAMUELE, sopra il Canal grande.

Palatium LIN, prope S.tum SAMUELEM, ad magnum Canalem.

Architectura Sebastiani Mazzoni.

Palais de LIN, proche de S.t SAMUEL, sur le grand Canal.



Veduta del Campo di S. STEFANO. | Prospectus Campi Sti. STEPHANI. | *Vüe du Champ de* St. ETIENNE.

1. Palazzo Loredano. 2. Palazzo Morosini.



Palazzo MALIPIERO, *a* S. SAMUELE, *sopra Canal grande.*

Palatium MALIPIERI, prope S.tam SAMUELEM, ad magnum Canalem.

Palais de MALIPIERO, *pres* S.t SAMUEL, *sur le grand Canal.*



Palazzo MOCENIGO, *a S. Stae, sopra il Rio.*

Palatium MOCENIGORUM, prope S.tum EUSTACHIUM, ad RIVUM.

Palais de MOCENIGO, *pres de* S.t EUSTACHE, *sur le Ruisseau.*



Palazzi MOCENIGI, *a* S. SAMUELE.


Palatium MOCENIGORUM prope S.tum SAMUELEM.
Architectura Andreæ Palladio.

Palais de MOCENIGO, *proche de* S.t SAMUEL.



Palazzo **PESARO**, *sopra Canal grande.* Palatium **PESARO**, ad magnum Canalem. *Palais de* **PESARO**, *sur le grand Canal.*

Architectura Baldiseræ Longenæ.



Palazzo PISANI, *à* S. STEFANO.

Palatium PISANI, prope Stum STEPHANUM.

Palais de PISANI, *près de* St. ETIENNE.



Palazzo PISANI, *à* S. TOMASO, *sopra il Canal grande.*

Palatium PISANI, prope S.tum THOMAM, ad magnum Canalem.

Palais de PISANI, *proche de* S.t THOMAS, *sur le grand Canal.*

1. Palatium Barbarigo.




Palazzo RUZZINI, *à* S. MARIA FORMOSA.

Palatium RUZZINI, prope S.tum MARIAM FORMOSAM.

Architectura Manopolæ.

Palais de RUZZINI, *proche de* S.te MARIE FORMOSE.



Palazzo **SAVORGNAN**, *in Canal Regio.*

Palatium **SAVORGNAN**, ad Canalem Regium.


Architectura Giuseppe Sardi.

Palais de **SAVORGNAN**, *sur le Canal Royal.*



Palazzo **SURIAN**, *in Canal Regio.* | Palatium **SURIAN**, ad Canalem Regium. | *Palais de* **SURIAN**, *sur le Canal Royal.*

Architectura Giuseppe Sardi.



Palazzo VALIER, *in Canal Regio.* Palatium VALIER, ad Canalem Regium. *Palais de* VALIER, *sur le Canal Royal.*



Palazzo VENDRAMINO, alla Guidecca. Palatium VENDRAMINO, prope Sudecam. Palais de VENDRAMINO, pres de la Judeque.



Palazzo VIDIMANO, *à* S. CANCIANO. Palatium VIDIMANO, prope S.tum CANCIANUM. *Palais de* VIDIMANO, *pres de* S.t CANCIEN.

Architectura Baldissere Longenæ.



Palazzo **ZENOBIO**, *sopra il Rio de l' Carmine.*

Palatium **ZENOBIO**, ad Rivum Carminis.

Architectura Antonii Gaspari.

Palais de **ZENOBIO**, *sur le Ruisseau de l' Carmine.*



Altra Parte de l'Palazzo ZENOBIO. | Altera pars Palatii ZENOBIO. | *Autre Partie du Palais* ZENOBIO.



IL DOGE IN PROCESSIONE. | DUCIS IN COMITATU PROCERUM POMPA. | LE DOGE EN PROCESSION.

DESCRIPTIO POMPÆ ILLUSTRIS VENETI DUCIS AD SOLEMNIA CELEBRANDA IN PUBLICUM PRODEUNTIS:

Aliorumque præcipuorum SPECTACULORUM URBIS VENETIARUM.

Quamvis pro viribus ab omni parte perfectam Urbis Venetiarum *descriptionem enumerandis Palatiis, Ædificiis publicis ac privatis, ipsiusque omninum rerum præstantiis, dederim; attamen hic manum de tabula non esse plane tollendam, sed, ut nihil in illa descriptione desideraretur, addenda esse duxi publica oblectamenta, lusus, dies festos & spectacula. Inter quæ maxime eminent primum* PRINCIPIS *in publicum prodeuntis illustris Pompa, secundo* Bacchanalia, *porro* labores Herculei & Tauromachia, *deinde* Celebratio sponsaliorum DUCIS VENETIARUM *cum mari Adriatici die Ascensionis, tandem* Naumachia *vel potius* Nautrochia *id est navium cursus, & postremo* Pyctomachia.

PRINCIPEM VENETUM omnibus ornamentis Ducali dignitati propriis, multisque aliis præeminentiis conspicuum, diversis Festis sivè Ecclesiastico ritu, sivè Reipublicæ decreto, sivè ob pericula feliciter superata, sive voto solemnibus, in publicum cum toto Senatu, & exterorum Principum Legatis prodeuntem præcedunt Palatii Apparitores, qui *Commendadori* vocantur, lon- *Pompa Principis Veneti in publicum prodeuntis.*

gis palliis cærulei coloris ſuperinduti. Caput opertum habent galero ejuſdem figuræ horum, quibus Nobiles uti ſolent, ſed rubro, cuique alligati ſunt duo nummi aurei Veneti *Zecchini* dicti. Octo horum Apparitorum totidem diverſorum colorum vexilla deaurata ſericea explicant, cum Inſigni S. *Marci*; duo quidem cærulea, duo rubra, violacea duo, & alba duo: *Pacem* ſcilicet, *Bellum*, *Inducias* & *Fœdus* ſignificantia; quæque tempori, & præſentibus Reipublicæ rebus reſpondent prima præcedunt. Iſtos alii Apparitores ſequuntur cum tubis argenteis ſexpedalibus rectis, indè alii quinque cum majoribus tibiis harmonicè ludunt per intervalla, & panno raſi denſique texti veſtiuntur. His ſuccedunt Ducis Armigeri ſerico panno heteromallo nigro induti, binique incedunt. Horum Armigerorum præcipuum munus eſt menſæ inſerviendi, cum Dux Principum Legatos, & Senatum, publicos convivas habet. Indè ordinatim procedunt magnus rerum capitalium Tribunus (*Capitaneum magnum* apellant) & Ducis Eques: Ambo tunicis veſtiuntur ex panno texto è bombyce preſſo, & longa toga ſericea damaſcena cremeſini coloris, cum calceis rubris. Ducalis equitis munus eſt, Duci pro ceremoniarum Magiſtro inſervire, invitare ad ſolemnia Principum Legatos, & ipſos excipere. Iſtis ſuccedunt minorum Tribunorum rerum capitalium ſeptem vel octo, eodem modo cum prioribus veſtiti, ſed togis brevioribus. Latam itidem zonam gerunt magnis argenteis laminis ornatam, ex quâ prominet argenteus capulus acutiſſimi ſtyli id eſt cultri. Ponè iſtos vides Sanctioris Conſilii Scribas indutos propriâ ipſis veſte cæruleâ manicarum clauſarum; cum ſtolâ ex panno ſerico, alterâ parte villoſo. Proximè incedit magnus Cancellarius, veſte Senatoriâ violaceâ chirodotâ, & latâ. Deindè progreditur Principis Domeſticus ſacerdos violaceo veſtitu, cum Puero, qui fert Cereum album, & alio Puero, qui *Ballotinus* Ducis vocatur. Exindè vides duos Ducis Armigeros, quorum alter a dexteris Sellam fert plicatilem ligneam deauratam divite textili aureo ſerico intectam, alter a ſiniſtris Pulvinar ex eodem aureo panno.

Tandem cum Majeſtate graditur ipſe PRINCEPS, quem Pontificis Nuntius aliique exterorum Principum Legati ſolent comitari. Ipſe autem Dux togam habet talarem manicarum clauſarum. Alligatur pectori hæc toga duodecim ex argento inaurato craſſis globulis ad medium uſque corpus, ubi circumcingitur cingulo aureis annulis ornato. Superinduit longum Ducale pallium textilis auri vel argenti intermixto ſerico albo vel rubro, prout poſtulat diverſorum dierum ſo-

ſolemnitas. Cornù habet ex eodem textili & latâ aureâ zonâ in formam Diadematis præcinctum. Cubicularii duo longum ejus Pallii tractum ſuſtinent, & Armigerorum munere primus ſuper ejus caput elevat umbellam craſſi textilis aurei ſerici, aureâque itidem fimbriâ circumornatam ſimilemque Papali.

Omnia Regia hæc ornamenta, *Sellam* ſcilicet, *Pulvinar*, *Umbellam*, *Cereum* album, *Vexilla*, *Tubas Tibiaſ*que, quæ pompam hanc cum ceremoniis hiſce magnificentiſſimam reddunt, *Alexander* III. Pontifex in grati animi ſignum, & memoriam beneficiorum a Republica *Veneta* Duce *Sebaſtiano Ziani* acceptorum, Duci *Veneto* impertitus eſt.

Ponè bini incedunt ſex Ducis Conſiliarii, quorum tamen prior ad dexteram comitem habet eum Nobilem Virum, qui ad primam in *Venetorum* dominio vacantem Præturam vel Præfecturam electus fuit. Hic electus ſivè Prætor ſivè Præfectus duabus manibus elevatum geſtat magnum latumque enſem in vagina ſericei panni heteromalli cremeſini coloris laminis argenteis inauratis cælatis transforatiſque adornatâ. Similis eſt hic enſis illi, quem *Romanus* Pontifex conſecrare ſolet ſingulis annis Natalitio *Jeſu Chriſti* die, unà cum Pileo nigro holoſerico heteromallo muſtella alba pelliculato, & ſuperornato imagine columbæ margaritis concinnatâ, ut munus mittat Chriſtiano alicui Principi, qui contrà Eccleſiæ hoſtes fortitèr pugnet.

Hujuſmodi autem enſis, qui in ſolemnibus feſtis ponè *Venetum Ducem* geſtatur, ſignum eſt dignitatis magni Armigeri Imperii Orientalis, quâ Dux *Petrus Gradonicus* ab Imperatore *Michaële* honoratus fuit, quamque plures poſt ipſum Duces tenuere.

Dux Venetus Imperii Orientalis Armiger.

Claudunt pompam tria Capita Quadragintavirorum rerum criminalium, *Avogadores* duo, tria Capita Decemvirorum, duo Cenſores, *Sapientes magni*, *Sapientes Belli*, dicti *di Terra ferma*, cæterique Magiſtratus omnes bini, ordinatim prout legibus cautum eſt, & ſericeis purpureis Ducalibus togis magnificentiſſimè induti. Tantaque eſt hujuſmodi pompæ majeſtas, ut jure merito a *Palatinis* vocari ſoleat *Veneti Ducis* Triumphus.

Porrò cum in Eccleſia S. *Marci* ſolemnia celebrantur, Dux primum locum tenet, quà intratur, ad dexteram. Primus poſt Ducem ſequitur Pontificis Nuntius, & poſt ipſum immediatè cæteri Principum Legati ſuâ quiſque loci præeminentiâ. Ad aliquam diſtantiam in eodem primo ordine dextero ſedent Conſiliarii, Magiſtratuum itidem Capita, quæ ſolemnibus inter-

ſunt, locum habent in duplici ſubſelliorum ordine in eodem latere. Reliqui Senatorum, qui repræſentant *il Pregadi* (ſummum ſcilicet Magiſtratum & Patres ad ſumma Reipublicæ munia *Rogatos*) in altero id eſt ſiniſtro latere ſedent omnium tamen honorum his cæremoniis propriorum cum ipſo *Duce* æquè participes: utpote qui non Ducem tantum ſequantur, ſed cum ipſo unum Reipublicæ corpus conſtituant.

Finitis ſolemnibus *Dux* cum eodem comitatu ad Ducale Palatium revertitur. Nuntius aliique Principum Legati illum concomitantur ad infimos uſque ſcalarum gradus, ubi *Serenitati* ſuæ valedicunt, non tamen illicò abeunt, ſed ad dexteram parum ſecedentes ibi adhuc exſpectant, quouſque ultimus Senatorum præterierit. Nuntiu Pontificis hunc primus morem olim introduxit, cæteri ſequuti ſunt. In hoc certè apparet *Venetam* Rempublicam non a ſolo Duce ſed ab univerſo ſimul Senatorio ordine æquo jure eſſe conſtitutam. Porrò frequenter cernere occurrit prodeuntis ad ſolemnia celebranda *Ducis* magnificam hanc pompam: Inter præcipuos dies numeratur ille *Paſchatis*, quo die Templum S. *Zaccharia* quotannis viſitat.


Audita itaque poſt meridiem ejus diei in Templo S. *Marci* publicâ de rebus Divinis Oratione, *Princeps* inceſſu triumphali cum toto illum concomitante Senatu ad Templum S. *Zaccharia* ſe confert, ubi a ſanctis Monialibus & Abbatiſſâ ſolemni ritu exceptus audit ad dulciſſimam harmoniam cantatas veſperas, totâ accurrente Urbe ad lucrandas indulgentias. Porrò cautum eſt publico decreto, ut *Dux* ingrederetur per Parœciam S. *Philippi & Jacobi*: quia ſcilicet, cum olim Princeps *Gradonicus* hoc iter haberet per viam Pontis *de la Paglia* à privatis hoſtibus occiſus fuit: proindèque ædes, propè quas hoc *Principis* homicidium commiſſum eſt, funditus fuere everſæ in tanti criminis perpetuam memoriam. Cauſam hujus Templi Viſitationis cecinit *Bernardus Georgius* his verſibus:


Excolitur paſſim Chriſti *ſolemne quotannis*
A morte ad vitam quo redit ille die.
Præſtitit hoc, & idem ſemper Reſpublica noſtra
Nobilis eximia religione Dei:
Aſt cur Zachariæ *luce illa viſitet ædem*
Duxque Senatus item commemorare libet.
Corpora Sanctorum dono Monialibus illis
Papa *olim dederat, motus amore pio.*
Munus ob hoc Princeps *fanum id, ſanctuſque Senatus*
Promiſere illo viſere velle die.
Unde Senatores Veneti *illic quolibet anno*
Polliciti memores, corpora Sancta colunt.

Bac-



Force d' HERCOLE. | Labores HERCULEI. | *Les Forces d'HERCULE.*





Bacchanaliorum Venetorum fama per totam *Italiam* tantâ celebritate vagatur: ut, qui ex longinquis regionibus *Venetias* visum venturi sunt, hanc anni tempestatem exspectent, quibus proindè diebus innumerabilis esse solet exterorum undequaque confluentium concursus. Quamvis autem in aliis *Italiæ* Urbibus plurima celebrentur sæpe spectacula, nullibi tamen ea omnia concurrunt, ob quæ *Bacchanaliorum* Venetorum oblectamenta cæteris omnibus præferuntur. Enimverò maximi existimari debent commoda, licentia cuicumque cujusvis ordinis sexusve personam inducendi permissa, summaque libertas, quâ personatus quisque quælibet loca frequentat, jura personarum inviolabilia, magnusque diversorum oblectamentorum & spectaculorum numerus per hosce dies recurrentium. Tota, ut ita dicam, tunc Urbs personam induit. Vides larvatos in bracchiis & sinu matrum infantes: vides homines & fœminas ad minutissimas merces emendas ire larvatos. Platea S. *Marci* magnum illud Theatrum est, ubi singulis diebus *Bacchanaliorum* pompa explicatur. Nemo enim est personatorum, qui circa solis occasum ad hanc plateam non veniat. Ita quidem, ut tantum sive personarum, sive aliorum concurrentium numerum amplissimus hic locus continere vix potis sit. Nobiles Fœminæ personam capiti non adjiciunt, nisi postremis *Bacchanaliorum* diebus, ut hoc oblectamento fruantur. Bacchanalia.

Jucunditatem *Bacchanaliorum* plurimum auget diutinum tempus. Incipiunt enim circa finem *Decembris* immediatè scilicet a Festo die Nativitatis *Jesu Christi*. Neque satis expediri verbis potest, quanto mœrore tota Civitas conficiatur; (præsertim autem qui hoc anni tempus impatienter exspectavere) cum jubente Decemviratu larvarum usus interdicitur, vel ad ultimos usque dies præcluditur. Stante tamen interdicto licet semper noctu larva indutis aleatorias domus (vulgò *Ridotti*) Comœdias, fabulasque harmonicas & machinales, quæ *Opere* vocantur, frequentare.

Locus describendi Theatra, Domus lusorias, *Ridotti* dictas, aliaque sivè Spectacula, sive loca ubi hæc *Bacchanoliorum* Spectacula celebrantur, hic esset peropportunus: verùm ut suprà monuimus, impræsentiarum aliqua tantum dicere decrevimus de *Laboribus Herculeis*, & *Pugnâ Taurorum*, deque festo die, qui *Zioba grasso* a *Venetis* appellatur.

Labores Herculei & *Tauromachia* inter *Bacchanaliorum* Spectacula præcipuè numerari debent. Licet enim per diversa anni intervalla aliquando occurrant, horum tamen dierum propria esse solent. Hisce plebs summopere delectatur utpote suis: præ-

Labores Herculei, *vulgò* Force d'Hercole. cipuè autem *Herculeis Laboribus*, qui ab opificibus & Cymbariis ad hoc exercitatis repræſentantur.

Elevatur in plateâ S. *Marci*, vel alio aliquo amplo ſoro magnum tabulatum, conveniunt viginti circitèr flore ætatis & viribus pollentes Viri, ſtrictis braccis, cum periſcelide tintinnabulis inſtructâ, & panni bombacino filo contexti interulâ aptè corpori junctâ. Primus eorum labor eſt, aſcendere tabulatum. Quilibet ſocium humero geſtat. Qui geſtatur ſolo dextero pede geſtantis humero innititur, ultra proclinatur in latus, bracchiis ſurſum deorſumque protenſis: ſicque alteri altero ſuccedente, & quolibet plantam pedis porrigente manui ſubſequentis, catenam veluti efformant plurimorum hominum, qui in aëre ſpatiantur ab extremitate unius manus & pedis penſiles. Cum tabulatum tenent, ambulant in orbem diverſaſque figuras variis corporum inſolitis ſtatibus ſubindè formant, ſonantibus ad numerum tintinnabulis.

Nunc quatuor poſitis ſuper humeris duorum craſſorum baculorum extremitatibus octo alios ſtantes ſuſtentant, ad quinque hominum rectam menſuram, addito ſemper puero, qui ſuper ultimi humero firmiter ſtat. Nunc quatuor ex fortiſſimis arcum inverſis corporibus formant, & ſuper ventris fornice ſex ſeptemve alios ſimul una ſuſtentant. Nunc aliquos vides quorum humeri duobus hominibus ſtantibus onerantur, & ſic onuſti primum ſedent, deindè expeditiſſimè ſurgunt. Uno verbo, tàm inſolitas & prodigio ſimiles vario corporum ſitu figuras exhibent, ut vix ſatis admirari quis poſſit tantum cum ſummâ dexteritate humani corporis robur, & vires jure merito *Herculeas*.

Populus, qui hoc genere Spectaculorum plurimum gaudet, Tauromachia. non minori frequentiâ ad *Taurorum pugnam* concurrit. Forum aliquod tabulatis conclauditur: ſæpè tamen ſimplex ſufficit repagulum. Neque enim furioſi ſunt, qui illuc ducuntur Tauri, eorumque vires ligatis ad cornua funibus duo homines moderantur. Canes in eos immittuntur, qui tantâ rabie eorum aures vel jugulum ſolent dentibus apprehendere, ut conſtricto anhelitu in periculo eſſent ſtrangulandi, niſi ſcitè avellerentur. Inſulſi cæterùm hujus Spectaculi condimentum aliquando ridiculus tumultus: cùm ſcilicet Taurus fune a moderatoribus derelictâ elabitur, tabulata ſubvertit omnemque cœtum momento diſſipat. *Taurorum pugnam* claudit ſæpè in eodem loco illa Urſorum pugna. *Urſorum* pariter cum *Canibus*. Urſi enim nutriuntur deſtinati ad hoc plebi gratiſſimum Spectaculum. Quod tamen aliquando non caret periculo: ſi nempè Urſi maximo quo pollent virium robore



Il Carnevale di VENEZIA. | BACCHANALIA VENETORUM. | *Le Carneval de VENISE.*



Campo di S. ZACCARIA, con la Funzione del Giorno di Pasqua. | Campus S. ZACHARIÆ cum S. Festi Paschalis Processu. | Champ de S. ZACHARIE, avec la Fonction au jour de Pâque.



Festa de TORI *Solita farsi il giovedi grasso.* | TAUROMACHIA VENETORUM. | *Les Combats de* TAUREAUX.



La Caccia dell' ORSO. | URSORUM PUGNA. | Combat des OURS et des CHIENS.

bore funes, quibus alligantur, vel rumpunt vel avellunt.

Solet præterea eodem modo fieri per totam Urbem *Taurorum cursus*: neque dedecus putant Viri ipsi Nobiles deposita togâ prehensis funibus, quibus Taurorum cornua ligantur, incitato cursu totam Urbem percurrere. Neque sine aliquo exterorum Civiumque incommodo, cum in angustis viculis hinc & inde subito ab irritatis Tauris cavere debeant.

Taurorum cursus.

Hæc *Taurorum Spectacula* ultimâ *Bacchanaliorum* hebdomade sæpius occurrunt. Dies autem Jovis hujus ultimæ hebdomadis, qui pinguis, (*Venetis Zioba grasso*) vocatur, plus cæteris celebratur. Super alto tabulato in plateâ S. *Marci* è regione Ducalis Palatii conspicientibus Principe cum Senatu, & exterorum Principum Legatis uno ictu Tauri caput amputatur: succedunt artificiosi ignes pleno die, tandem Funambuli & Saltatores, quique ex altissima turri per tensum funem desiliunt, publicum Reipublicæ gaudium ostentant ob periculum exantlatum, & reportatam victoriam. Siquidem instituta fuere hæc Spectacula in memoriam felicium armorum, quibus olim Respublica pro Patriarchâ *Gradensi* contra *Ulricum Aquilejæ* Patriarcham pugnavit. Capti enim eo bello *Aquilejensis* Patriarcha & duodecim cum ipso Canonici, ductique *Venetias* Senatus decreto ad capitis supplicium in S. *Marci* plateâ publice subeundum damnati fuere. Sed severiori iræ succedente clementiâ, eorum loco in extructo jam tabulato, Tauro & duodecim suibus caput publicè abscissum fuisse memoriæ mandatur: indè pinguis nomen huic Jovis diei inditum fuit, cujus pompa & apparatus ridiculam Tragœdiam optimè repræsentat. Omnes Urbis Lanii quàm venustius possunt mutuatis plerumque vestibus ornati, in Ducali Palatio conveniunt. Tunc Senatus descendit in Oecum plani pedis in primâ Palatii contignatione juxta porticus, ibi coram Duce & Principum exterorum Legatis harum copiarum fit lustratio. Jucundum oppidò Spectaculum hujus exercitus tam ineptè armati, tam diversis coloribus vestiti militaris profectio. Hi currunt, illi graviter incedunt, alii prono corpore salutant, alii verò tecto capite Majestatem Principis ferociter intuentur, Buccinatoribus interim in primâ acie canentibus classicum.

Zioba grasso, *id est* Quintus feriatus dies ultimæ hebdomadis Bacchanalium. Tauri caput amputatur. Ignes artificiosi, & præceps ex alta turri per tensum funem lapsus.

Laniorum ad amputandum Tauri caput apparatus.

Hinc transitur ad porticum, quâ prospectus patet ad plateam, statimque Lanio cui honos hic demandatus est, uno ensis ictu Tauri caput amputat.

Sequuntur ignes artificiosi, Funambulatio, & Saltatio. Tota Urbs ad hæc Spectacula concurrit. Ducalis Basilica, quâquâ


vergit tota platea, & quæ ipſam ambiunt Procuratoria Palatia ſpectantium multitudine adimplentur. Nihil tamen populo jucundius quam *Dædalum* videre in aëre volantem per tenſum funem ex altiſſimo turris S. *Marci* acumine ad triremem, propè duas Columnas quæ in ripâ elevantur, collocatam.

Porrò hoc die tota Urbs apparet conjecta in tumultum & trepidationem. Namque licet unicuique cujuſque generis arma (èxceptis tamen ignivomis) ad ſe tegendum per vias oſtentare. Quacumque te vertas plebem vides armatam ſecuribus, acinacibus, nudis enſibus, clavis, verubus, frameis. Clauſæ ubique officinæ, quis non putaret horribili ſeditione Urbem agitari? Et hæc de Spectaculis *Bacchanaliorum* impræſentiarum ſufficiant.

Auguſtiſſima omnium ceremoniarum, ſunt procul dubio ſponſalia Ducis *Veneti* cum mari *Adriatico*, ad quæ Dux triumphaliter procedit, hæc ut exteri viſum veniant, operæ pretium eſt.

Feſtum Aſcenſionis *J. Chriſti.* Die itaque Aſcenſionis *Jeſu Chriſti* Dux cum toto Senatu ex Ducali Palatio exit eâ pompâ, quam ſuperiùs deſcripſimus intraturus in *Bucentaurum* propè columnas S. *Marci.* Bucentaurus. *Bucentaurus* autem Regium navigium eſt, longior trireme, altitudine bellicam navim ferè æquans, ſine malo & velo. Remiges ſub Ponte ſedent ſuper quo ad totam navis longitudinem elevatur magna camera operis inteſtini ſculpti & deaurati, quamque magnus ſtatuarum numerus fulcit: quarum quidem ſtatuarum tertius alter ordo deauratum undique ſuſtinendo in medio tectum, porticum format duplicem ſectilibus lignis coagmentatam, cum ſubſelliis hinc & indè, pro Senatoribus Puppis extremitas hemicyclum facit cum tabulato ſectilium lignorum altitudinis ſemipedalis. Sedet Dux in medio, Nuntius & Principum Legati ad dexteram & ſiniſtram cum Senatu, Conſiliariis, & Capitibus Quadragintavirorum, quiſque ſuo loco.

Neque minori magnificentiâ exterius fulget regia hæc navis auro undequaque ditiſſima, Damaſceno cremeſino ſerico cum aureis fimbriis per omnem longitudinem cooperta, & inter deauratas ſtatuas quæ cameram circumundique ſuſtinent parvis aulæis ſive potius (venia ſit verbo) rugoſis velis ſericeis adornata. Expanſum per aëra volvitur defixum puppi magnum S. *Marci* vexillum. Cætera Ducalia minora ſigna explicantur in prorâ. Magnus exterorum numerus, quibus in hanc navim intrandi facta fuit poteſtas ditiſſimis nitent veſtibus. Canere non



VOLO, FUOCHI ARTIFICIALI, *et altri Girochi nel Giovedi grasso.* | VOLATUS, IGNES ARTIFICIALES, aliique Lusus die Jovis in Bacchanaliis. | VOLÉE, FEUX D'ARTIFICE, *et autres Jeux au Jeudi gras.*



Il SPOSALIZIO *del* DOGE *con il Mare.* | SPONSALIA MARIS ADRIATICI. | *Fête de l'* ASCENSION.

non cessant majores tibiæ, tubæque. Quid magnificentius?

Hæc superba navis strepentibus undique tormentis bellicis solvit è littore. Ipsam concomitantur & sequuntur Triremes aliquot minoresque Gauli, & plurima longiora navigia (*Peotas* vocant) sumptuose adornata, nec non infinitus penè numerus cymbarum, id est *Gondularum.* Diceres magnum aliquod Regium Palatium per undas inter minores fluctuantes ædes exspatiari. Ut ventum est, ubi mare unâ circiter leucâ ab ore littoris intumescit, *Venetiarum* Patriarcha mari solemnibus precibus benedicit, (Ad hoc opus ad Bucentauri puppim usque minori cymbâ vehitur) sternitur tunc Ducalis scamni dorsum, Duxque accepto a Magistro Ceremoniarum aureo annulo ipsum in mare per Bucentauri gubernaculum dejicit, altâ & distinctâ voce hæc verba pronuncians: *Despondeo te Mare, in signum nostri veri & perpetui Imperii.* Gestit tunc sparsis adornata floribus, tantis refulgens splendoribus, & regio sponsalitio superba *Thetis*, resonat harmoniis concentibus, musicis cantionibus, & immensis plausibus festivus aër, arridente felici connubio Cæli serenitate. Namque obducto nubibus sole, vel flante importunius vento, infido Pelago se non committit regia Majestas: & proinde si quæ imminentis procellæ vel minima sit suspicio, Bucentauri Archithalassus (hunc enim illi titulum meret tam Nobilis Præfectura) in Dominicum vel alium ex sequuturis diebus differrendi jus habet, (imo debet) hanc Navigationem & Pompam.

Bucentauri iter.

Maris Sponsalia.

Cæterum hujus solemnitatis Senatum componunt, non illi Seniores Patres, quibus cum Duce Imperii summa demandata est, sed Junior illa nobilitas, qui in Senatum veluti in scholam, sine deliberandi jure vocantur: quique proindè (*subpregadi*) id est subrogatorum titulo insigniuntur. Salvâ scilicet semper & incolumi in Urbe Republicâ, quamvis in Mari Ducalis Majestas periclitetur. Celebratis hoc modo maris *Adriatici* sponsalibus descendit è *Bucentauro* Dux in Templum S. *Nicolai*, situm in littore, ibique solemnem missam a *Venetiarum* Patriarchâ cantatam audit: quâ finitâ eadem pompâ navigans ad Ducale Divi *Marci* Palatium revertitur.

Hujus diei solemnitatem in quindenium protrahunt totius *Europæ* celeberrimæ *Nundinæ*, affluentibus undequaque exteris, admiraturis in plateâ S. *Marci* opes porrò immensas, omniumque operum & generis pretiosissimas merces in tabernis longis ordinibus pro tempore ædificatis venum expositas. Solet autem per hos dies Personarum usus permitti, nec non in eodem Nundinarum loco, omnium generum Spectaculorum festiva repræsentatio.

Nundinæ.

Naumachia *sive potius* Nautrochia, *id est* Navium cursus.

Ab *Adriatici* maris Sponsalibus, ad aliud maritimum Spectaculum transeamus, quo *Venetus* Populus remos tractare & remis navigare ab infantiâ assuetus, incredibile fermè est, quantopere oblectetur.

Quamobrem si quando statuit Senatus Principem aliquem exterum *Venetias* invisentem aliquo *Venetis* peculiari donare Spectaculo *Regatam* indicunt Nautrochiam scilicet, sive potius Latinis verbis plurimorum diversi generis navigiorum cursum, & incitatis ad majorem velocitatem remis in magno Canali æmulam navigationem.

Regata.

Quatuor plerumque eliguntur genera navigiorum: Cymbæ *Gondolæ* dictæ: Lyntres majores, Lyntres minores, (*Batellos* vocant) & *Fisoleras*, phaselos scilicet parvos, sed longiores, tantæ levitatis, ut ipsis ferendis humeri unius hominis facilè sufficerent. Præterea ad majorem cursus diversitatem ex singulis horum navigiorum generibus, alia quatuor, alia duobus, alia verò uno tantum remo navigare debent.

Qui levioribus currere volunt navigiis ipsa seligunt ad cursum aptissima, omni spoliant graviori apparatu, subtus scabunt, attenuantque, adipe illiniunt, & ad augendam eorum in ipsis undis lubricitatem sapone inducunt. Ne autem nimium attenuata, accedente remorum violento impulsu dissiliant, tensa fortiter funis a puppi ad proram, nec non ligna hinc & inde triangulari formâ affixa, quasi nervis fortissimis unitum tenent totum navigii corpus.

Superbum enim verò Spectaculum per totum magnum illud regiumque Canale, quod per totam Urbem transcurrit, hinc & inde cernere tot pulcherrimas ædes, tot stupenda Palatia, ipsum Architectonicæ prodigium & magnificentiæ monstrum, *Rivi alti* Pontem dico, pretiosis aulæis, Damascenisque omnium colorum sericeis pannis exornata; tantam sumptuosis nitentem vestibus utriusque sexus undique multitudinem, innumerisque undique Salum coopertum *Sundulis*. (Liceat hoc proprio nomine uti.)

Plurane desideras? Videbis plurimas longiores naves (*Peotas* appellant) *Turcicis* tapetibus acu pictis, peripetasmatibus amphitapis, aliisve bombycinis pannis vestitas a sex octove fortissimis remigibus sumptuosis insignibus indutis velocissimum in cursum agi, ut hinc & inde liberum per medium Canalis iter faciant omni nixu navigantibus ad metam & Βραβεῖον. Audies reboare plausus, resonare clamores. Illi præeuntibus evohe præcinunt, hi subsequentibus animos addunt. Fremunt, spumant tot navigiis interclusi, verberati, cæsi fluctus. Fronte & crinibus vittâ ligatis, seminudi, laxioribus sericeis & tenuissimis femo-

Remigum descriptio.



LA REGATA. | NAVIUM CURSUS APUD VENETOS. | REGATE, OU COURSES DE BARQUES.

1. Pont Rialte. 2. Palais Dolfin. 3. Palais Cornaro. 4. Les Palais de Mocenigi. 5. Palais Contarini. 6. Palais Cucina. 7. Palais Balbi.

femoralibus cum simplici lineâ interulâ, succincti, maritimi robustissimi Athletæ in puppi stantes, vultu pallido in sudorem exsolvuntur, anhelant, difficulter animam trahunt, attamen fixis oculis proni in remos tensis musculis, fortius innituntur. Virium suppetias perituris viribus addit instans victoria.

Ab maris littore ad extremam usque magni Canalis oram per duorum circiter milliarium campum, canentibus semper tubis, sonantibus tympanis toto impetu remis veluti rotis feruntur navales currus. Vexilla super tabulato in aquis extructo explicata primis auferentibus victoriam faciunt. Merces victoriæ dives. Quid nobilius? Quid jucundius? Quid majori admiratione dignius jactare possunt sumptuosissimæ veteris *Romæ* Naumachiæ? Imo ne quid festivæ hujus Spectaculi desit hilaritati, cum prima, secunda, & tertia præmia sint ex auro, vel argento, sus trimestris, & cum eodem insigni vexillum tertio venit in Brabium victori. Quid quæris amplius? Adde, non viros solum, sed & fœminas in hunc agonem prodire. Rarum enimverò in imbelli sexu tantum inesse audaciæ, tantum dexteritatis, tantumque virium, ut tam longo conatui non solum pares esse queant, sed & viris aliquando validiores appareant: propositis proinde fœmineo sexui in hoc certamine pretiosissimis præmiorum. Alia porrò *Nautrochiæ* species est illa, quam *Veneti* appellant *il Fresco*: cursus scilicet Cymbarum ad captandum frigus. Nobilis oppido recreatio, ab Aprili ad finem usque Septembris. Nomen *Fresco* ab usu vènit, namque per magnos solis ardores, neque nimius calor neque ulla pulvis vel minimam molestiam faciunt deambulantibus (ut ita dicam) in aquis: quin frigidus aër delectando ludit, blanditur, & allicit.

Incipit cursus iste cymbarius secundo die Paschatis, neque intermittitur nisi post festum S. *Hieronymi*, incipiente scilicet Octobri. Verùm tamen est, solis diebus sive Ecclesiastico ritu, sive publico gaudio solemnibus, Nobiles Fœminas ex domesticis ædibus in publicos hosce conventus exire solitas. Ideoque hisce tantum diebus itur *al Fresco* in magno Canali, quâ parte ad S. *Luciam* vergit, hinc & inde ab utrâque Canalis ripâ spectante populi frequentia.

Post vigesimam tertiam diei horam, semi-horâ scilicet ante solis occasum, remiges duo, qui cymbam agunt, primo viribus suis parcunt, lenteque navigant eundo & redeundo per octingentos circiter passus; sed sensim crescente sive ardore sive æmulatione, tanta vi tantaque celeritate remis instant, ut ma-

didâ ſudore interulâ ex aquis videantur emerſi, difficulter animam agere. Pannus autem ex bombyce preſſo textus dari ipſis ſolet pro interulâ, diverſorum colorum, pro ut Nobilium virorum, quorum ſtipendia merent, diverſa ſunt inſignia.

Qui hoc genere natantis vehiculi non adhuc aſſuevere, cum vident in hoc Canali quingentas & amplius cymbas mirâ cum celeritate & levitate ire, redire, progredi, iterumque ſe convertere in occurſum, ſtupent, trepidant, eorum caput veluti turbine circumvolvitur, imminenſque ſubmergendi periculum anxia cogitatione ſibi depingunt. Enimverò videre tot Cymbas tantâ remigum vi impulſas, ſpumantibus præ ingenti remorum agitatione fluctibus tam celeriter hinc, & inde irruere, quis vel firmiſſimi animi, ſed inexpertus non crederet, ipſas invicem confringendas conterendaſque? Dexteritas tamen & experientia Cymbariorum ſecuros facit vel timidiſſimos. Velociſſime enim frontibus licet adverſis ſine ullâ colliſione locum ſibi cedunt leviſſima hæc & elegantiſſima navigiola. Omne periculum eſt, aquâ ſalſâ aliquando perſundi. Fluctus enim violenter agitati & inter duas cymbas curſu oppoſito decurrentes, & intercluſi tantâ cum vi repente exſiliunt, ut impoſſibile ſit ab eorum irroratione ſe præſtare immunem. Nobiles fœminæ vel ſolæ cum duabus ancillis cubiculariis cymbam ſuam occupant, vel quatuor conſuetudine conjunctæ conveniunt, ejuſdemque Cymbæ quatuor angulos tenent.

Cymbarum figura & ornatus omnibus idem eſt. Earum tamen minor parvitas, tenuitas, levitas, mobilitaſque majorem facit elegantiam, nec non commoditatem Nobilibus his viris qui ad aucupandam amicæ gratiam, velociori curſu præ aliis moveri ſatagunt. Proindeque nullum conſilium omittunt, nulli muneri parcunt, ut fortiſſimos ex remigibus in ſuas Cymbas conducant. Hinc expertiſſimis hiſce remigibus heri ſui nutui audientibus, eorum cymbæ nunc præeunt, nunc ſubſequuntur, nunc in latus intrant, nunc in oppoſitum excurrunt, ipſaque dextera curſus celeritas facit, ut quæ arte & ſtudio aguntur, caſu & fortuito accidere videantur.

Solent & Principum Legati, ſed incogniti, una tantum ſcilicet Cymbâ in hunc navalem curſum venire. Aliquandò tamen ſolemni pompâ cum omnibus ſuis Cymbis ibi apparent. Tunc autem ad evitandam turbam medium Canalis tenent, & cum majeſtate lente admodum navigant.


Licet etiam Nobilibus exteris in hoc loco, & eodem tempore ſuis Cymbis frigus captare. Interdictum meretricibus, niſi





Veduta del Canale e Chiesa di S. BARNABA, *Col la guerra de* PUGNI. | PYCTOMACHIA VENETORUM. | COMBAT *à Coups de Poing.*

1. Chiesa di S. Barnaba. 2. Campanile di S. Marco. 3. Campanile di S. Samuele. 4. Canal grande.



nisi personatis: cum scilicet ob publicam aliquam festivam solemnitatem, personam inducere cuique permittitur.

Nautrochiam plerumque excipit *Pyctomachia* id est Pugillatus. Urbs *Venetiarum* magno ut diximus bipartita Canali in sex dividitur regiones, hinc & inde tres. Totus autem populus voluntario instituto in duas dividitur factiones amicè contrarias. *Castellani* illi, *Nicoloti* alii vocantur. Utraque factio tres regiones, & sua compita determinata cognoscit. *Castellani*, nomen sumunt a præcipuâ regione, *Castello* dicta, quæ littus maris respicit. Quæ vero continentem versus tenditur in oppositâ Urbis parte nomen *Nicolotis* dèdit a Parœciâ S. *Nicolai*, ubi plerique Incolæ piscatoria gens, aperto & rudiori soliti indurescere aëri, quamcumque pugnorum procellam sustinent inconcussi. Tanta autem est ambarum partium in pugillatus gloriâ simultas, ut summo habeatur dedecori, non dicam, alteri parti favere, sed & infensus non apparere; acciditque aliquando, ut unius factionis pugil, spretis omnibus utilitatibus & commodis, alterius factionis pugili filiam suam in matrimonium collocare superbe recuset. Porrò non tantum *Venetam* plebem hæc partium studia dividunt; sed ipsos Nobiles viros in *Nicolotorum* vel *Castellanorum* tuendam fortiter gloriam trahit diversus Domicilii situs. Quin & exteri in Urbem simul intrant & factionem. Namque ingressus ex Fossa *Claudiâ* & mari *Castellanos* facit, *Mestris* & *Fusina* (oppidula sunt in proximo continenti) *Nicolotos*. Omnibus idem in adversarios infensus animus, eadem omnibus simultas. In hoc tantum dispares, quod plebs pro honore victoriæ veluti pro aris & focis proprii corporis periculo pugnat, Nobiles autem & exteri nonnisi pro oblectamento suis favent pugnantibus, & veluti propriæ gestiunt acclamare victoriæ.

Pyctomachia *id est* Pugillatus.

Castellani *et* Nicoloti.

Verum enimverò innata videtur *Venetis* Pyctomachiæ libido. *Gundularii* stipendia non merent, nisi appositâ conditione, ut statutis diebus festis sibi liceat in his certaminibus emeritam sæpius palmam recolligere. Pueri per vicos de victorum nomine contendunt, nec sine pugillatus experimento. Quisque gaudet adesse Spectaculo, addit animos pugnantibus solatur victum, plaudit victori.

Tria porrò sunt *Pyctomachiæ* genera. *Mostra*, id est Diludium, seu singulare duorum certamen. *Frotta*, inordinati scilicet & subiti plurimorum congressus: & *Ordinata Pugna*. Pons S. *Barnabæ* locus esse plerumque solet, ubi hæc jucunda Tragœdia repræsentatur: quippe qui apertus ad latera sine podio, æquo graduum numero hinc & inde constans, duas utrimque latas ripas habet longe protensas ad æqualem fermè

Diversa genera pugillatus.

pugilum numerum continendum accommodas: & Canalis ſub ponte ſatis profundus in rectum excurrit, cinctus ædibus ad maximam ſpectatorum multitudinem continendum peropportunis, & ex quibus apertus ad pontem undique patet aſpectus. Neque tamen putes domorum feneſtras tantæ ſufficere curioſorum frequentiæ, ſed tecta omnia, tabulata, coronæ, quidquid aliquam habet projecturam, ripæ, vicini pontes, viris fœminiſque, pueris, ſenioribus implentur. Coopertus eſt cymbis Canalis, ſuper majoribus & amplioribus navigiis elevantur tabulata, ex aquâ fit ſolum: hi repunt per muros, ſublevant illi humeris hos, a quibus deinde manibus attolluntur; ſcalis, manibus, vi, nixu quælibet altitudo ſuperatur, omnium una facies ſpectantium videtur.

Moſtre. Patrini. Diludium, pugna ſcilicet duorum non incipit, niſi Ædiles (*Patrini* vocantur) in medio pontis ſteterint, ſunt hi duo graves & Principes ex pugilum populo Cives, ob ſtrenua in his certaminibus facinora jam emeriti, & ad hanc Ædilitiam dignitatem provecti, ut de pugilum fortitudine, & victoriâ ſupremum apud ipſos judicium ſit. Depoſito itaque pallio ſtant, ut diximus in medio pontis, utrimque plerumque duo, ibique poſt longum colloquium de iis conveniunt, quæ omnem controverſiam & jurgium prævertere poſſunt, quorum quidem præcipua capita hæc ſunt.

Diludii conditiones. Strato hoſti vis non inferratur donec aſſurgat. Secus agens pro ignavo habeatur, & indigno cui libertas ſit pugnandi.

Cui primum ab ore vel naſo ſanguis emanaverit, is victus cenſeatur. Si dubium ſit de ſanguine, jus ſit Ædilibus ſputum jubere.

Quibus poſt tres congreſſus nullus emanaverit ſanguis, ulterius congredi non liceat, ſed deoſculentur ſeſe in teſtimonium oblitæ injuriæ, & aliis pugnæ locum cedant.

Qui alium in Canalem de ponte dejicit duplicem victoriam obtinere cenſeatur.

Tandem ſi quis pontem aſcendens provocet ad pugnam, & nemo adverſariorum cum eo audeat manus conferre, hoc illi pro omnium maximâ ſtet victoriâ.

Id autem aliquando evenit: proindeque Athleta ille cui incruentæ hujus palmæ gloria contingit, depoſito pileo & veluti ſpectatorum plauſibus gratias agens cœtum omnem ſalutat, & gloriâ tumidus ſe recipit ad ſuos.

Ubi de conditionibus conventum eſt, accurrit utrimque pugil excalceatus, ſine interulâ, demiſſâ ad medium uſque corporis ſubulâ longiſque faſciis, veluti circulo tomento farcto, munitis renibus. Manum dexteram tenaciter involvens chiro-

rotheca pugnum reddit firmiorem. Subcoactos adigunt sub pileo capillos.

Ita parati duos oppositos areæ pontis angulos occupant, secedunt ad alios duos angulos Ædiles, ut liberam pugnæ relinquant arenam.

Congreditur, demisso parum capite, sinistro brachio tanquam scuto ante os porrecto, dextro ad ictum parato irruitur in hostem. Congressus. Immanes impinguntur resonantque validè ictus, non distinguitur aspectu iterata pugnorum grando, quæ in os præsertim impingitur. Maximus amborum vincendi conatus summa omnia, vis, furor, rabies.

Nec desunt aliquandò, qui pugno veluti fulmine percussi subito cadunt exanimes fracto capite, & sine ullo vitali apparente motu; quibus tamen ex arenâ subductis paulatim vigor & animus redit.

Cum autem quis adversarium pugnorum impetu in aquam de ponte pellit subsultu, tunc victor duplici, ut diximus palmâ triumphat. Reboat *Evohe*, resonat *Io* undequaque aër, voce, manibus, pileis, linteolis, de fenestris, de tectis, Plebs, Cives, Nobilitas, exteri Viri, Fœmina, unusquisque suo plaudunt triumphatori. Minor quidem, ingens licet, tertium victoriæ genus excipit clamor: cum scilicet ex ore vel naso unius pugilum sanguis aliquis emanat. Quod si post tres congressus æqua fuerit pugna, dato osculo secedunt a ponte, aliisque accurrentibus campum relinquunt.

Pugnatur ad noctem usque, numerantur palmæ, & illa pars victoriam consequuta esse censetur, quæ plures ejus diei singulares numerat palmas.

Nulla pugili victori merces præter gloriam, & fortitudinis famam; quæ tanti apud ipsos fit, ut in æternam apud posteros memoriam imaginem sui scitè coloribus pingi curent eo corporis statu, quo pontem ingressi victoriam obtinuerunt.

Frotta appellatur plurimorum inconsultus congressus. Frotta. Ædilibus nondum pontem tenentibus tyrones veteranorum exemplum imitaturi singularibus certaminibus exercentur. Sensim miscent se pueri, & adolescentes tandem ad suarum partium gloriam sustinendam accurrunt viri & veterani; tunc confervescit pugna, pellunt & repelluntur, æqualiter miscentur certamina, præceps ruit in aquam magna utrimque turba, madidis vestibus alacres & veluti intacti revertuntur ad prælium. Clamor undique sollicitantium ad pugnam, recedentibus indignantium, fortibus plaudentium, & præmia victoribus pollicitantium. Prælium inordinatum sæpè dirimit lapidea grando.

Ordinata & justa pugna dicitur illa, cum compositis per Ædiles Ordinata pugna. conditionibus, statuto die, æquis quantum fieri potest viribus omnes simul congrediuntur. Proinde per eos dies, quibus omnia ad hoc justum prælium parantur, tam acre inter partes inflamma-

tur odium, ut capita Decemvirorum futuri maximi mali metu omni pugnâ pugilibus sæpè interdixerint.

Victoria pro illis acclamari debet, qui depulsis aliis pontem tandem tenuerint.

Prima utrimque pugilum frons procedit ad planam usque medii pontis superficiem. Omnes ad prœliandum accincti, nudis brachiis, pectore thorace chartaceo armati, capite coactilibus pileato, reliquo expediti. Ædiles aream pontis occupant, salutant, & salutantur. Diludium semper præcedit prœlium. Tunc congrediuntur. Quantâ vi, quanto nixu incredibile dictu. Densat se globus succedentibus: renovantur fessi, conantur de gradu pellere, sustinentur invicem pertinaciter, repetunt pugnam, invadunt acrius, postremi priores fulciunt, irruunt: tandem perruptis hostium lateribus magnus pugilum globus præceps dilabitur in aquam: fit clamor immensus plaudentium, quisque voce, gestu, ventilatione suis favet. Redintegratur pugna, impetu violento succedunt alii, recentes advocantur, intromittuntur per latera mento ad genua inclinato, prorumpunt subito, dejiciunt obvios, redeunt repulsi, juvat ad multam noctem usque certamen, triarii ad ultimam invasionem vocantur: tandem ab una partium pons firmiter tenetur, irritus fit ipsum recuperandi omnis labor & vani omnes conatus. Terminant pugnam noctis tenebræ. Acclamatur pontem tenentibus victoria.

Cæterum tantus est pugnantium furor, tantaque in victis rabies, ut aliquandò a Coonicâ pugnâ ad veram Tragœdiam repræsentandam fiat transitus. Cumque quodlibet ferrum vel arma ferre omnibus sit sub pœna capitis interdictum, ruit omne missile lapideum. Saxeus volat imber, stratis non parcitur viis, tecta denudantur, & quandiu durant saxa; non cessat lapidibus grandinare. Malum porro illis, qui tempestive se non receperunt in tutum, quibusque contigit sub Dio interesse spectaculo.

Saxea tempestas.

Tali tantæque victoriæ succedunt victorum per tres dies festiva gaudia: Currunt per compita & per totam urbem die ac nocte cum stramentaceis tædis, vagantur evohantes victores, & adornata coronis cymba per omnes ripas triumphando navigant. Tristissimi vix audent in publicum prodire victi: Quin & ad suas ædes reverti verentur, sæpè enim pugiles maritos suos ab ingressu domus iratæ expellunt mulieres, contumeliosis ipsos increpantes verbis. Abite hinc ignavi, infames, vituperandi. *Va via de qua porco infame vituperoso.*

FINIS PARTIS POSTERIORIS.

INDEX

INDEX NOMINUM, RERUM AC VERBORUM.

S.

C.

Car-

Chri-

Con-

Cor-

De-

E.

Eva

Fu-

H.

S. Her-

I.

K.

L.

Libra-

B. Ma-

N.

Neptuni

O.

P.

Pacis

Q.

R.

S.

Sa-

Scho-

S. Tho-

V.

S. Vene-

S. Vin-

W.

X.

Xeno-

FINIS.

EMENDANDA.

Pag. 2. lin. 15., *lege*: peristylium. p. 3. l. 57. *l*: XXXIII. p. 6. l. 27. *l*: DANDOLUS. p. 25. l. 33. *l*: MOLINUS. p. 27. l. 11. *l*: DOTIBUS. p. 31. l. 7. *l*: Sacrarii. l. 14. *l*: *Loth.* ibid. *l*: monumento. l. 40. *l*: Sansovino. p. 43. l. 3. *l*: PER SEX. p. 44. l. 30. *l*: CLARISSIMO QUI. l. 31. *l*: ASPERITATEM. *ibid.* *l*: GLORIA. l. 32. *l*: MIRIFICE. l. 33. *l*: INSTITUIT. *ibid*, *l*: ADMIRANDUM. l. 34. *l*: A FUNDAMENTIS MAGNIFICENTIUS. l. 35. *l*: CONSTRUXIT. l. 36. *l*. ABSUMPTUM. p. 46. l, 3. *l*: FIDEI. l. 4. *l*: OBSIDIONEM, l. 35. *l*. QUIRINO. l. 36. *l*: TERRESTRIBUS. l. 47. *l*: CONTRA TURCAS. p. 48. l. 22. *l*: PONT. MAX. p. 57. l. 35. *l*: *Palma*, p. 71. l, 3. *l*: INTERNICIONEM. p. 77. l. 23. *l*: *Leonardus*. p. 82. l. 15. *l*: *Philippum Hispaniarum* Regem. p. 91. l. 6. *l*: DOMINI. l. 17. *l*: OBJICIENS. l. 55. *l*: ECLIPSIM. p. 103. l. 16. *l*: corpus. p. 112. l, 33. *l*: JACOBO. p. 278. l. 4. *l*: *Priulus*. p. 317. l. 26. *l*: PATRONIS. p. 324. l. 41. *l*: *Malipieri* *, ac prope S. *Cantianum*. Ibid. *l*. *Vidimanni* ‡ *l*. 42. Ad oram adde : ‡ Vide fig. pag. 359. In Indice p. 381. col. 1. l. 38. *l*: *confessus*, 248. p. 385. col. 1. l. 29. *l*: *Adriatici*, 301. 365. a. pag. 386. col. 1. l. 29. *l*: *Pompa*, 362. p. 395. col. 2. l. 2, *l*: Carneval, 364. ibid. l. 52. *l*: *adhibitis*, 249. 1. Ibid. l. 54. *l*: *recipiens*, 249. 2. p. 403. col. 2. l. 32. *l*: *sio*, 363. a. p. 407. col. 1. l. 64. *l*: *Venetiis*, 368. p. 415. col. 1. l. 39. *l*: *Ieremia*, 364. a. p. 418. col. 2. l. 36. *l*: *Stephani*, 364. a.

ADMONITIO AD BIBLIOPEGUM.

1. Omnes figuræ æneæ complicatæ, & à tergo in medio duplicatæ in ſuas paginas ſunt accurate diſtribuendæ.
2. Palatiorum Schemata XXXVII. in calce Characteribus Vv & ſequentibus ſignata uſque ad Kkkk & in fronte incipientia pag. 325. ad 361. cunctim in ordinem poſt pag. 324. conferenda ſunt.
3. Si forte libeat in duo volumina Opus hoc conſuere, ſcias, partem ipſius priorem pag. 242. finiri, & poſt hanc poſteriorem partem incipere.
4. Denique habeto, omnes plagulas eſſe geminatas, exceptis ** *** *** * & iſtis, à literis Llll uſque ad Xxxx & Eee ee, inter has ſimplices, ſemiplagulas, & quartam partem plagulæ invenies.

AVIS AU RELIEUR.

1. *On placera toutes les figures dans leur ordre ſelon les pages marquées après les avoir pliez par le milieu & y avoir collé une bande de papier en dos.*
2. *Les trente ſept planches des Palais marquées au bas* Vv *jusqu'.* Kkkk *& en haut pag.* 325. *juſq. à pag.* 361. *incluſive doivent être placées ſelon leur ordre après la page* 324 *k. comme on le peut voir dans l'Indice ſur la dite page.*
3. *Le ſecond Tome commence après la page* 242. *ce qui eſt à noter pour ceux, qui voudront faire relier l'Ouvrage en deux Volumes.*
4. *Tout eſt en duernions excepté* ** *** *** * Llll *juſq.* Xxxx *incluſive, comme auſſi* Eee ee. *qui ne ſont que de ſimples ou demi feuilles.*

BERIGT AEN DEN BOECKBINDER.

1. Alle de Bladplaten moeten in 't midden toegevouwen, en agter aangeplakt met ſtrooken in de rug, yder op ſijn pagina ordentelyck geſet werden.
2. De 37. Bladplaten der Paleyſen onder aan geletterd Vv tot Kkkk en boven aan gemerkt Pag. 325. tot Pag. 361. incluſive, moeten geplaaſt werden in ordre Pag. 324 *k.* als in het Regiſter op die laaſtgenoemde pagina te ſien is.
3. Het tweede deel begind agter pagina 242. als het in 2 ſtucken gebonden werd.
4. Alles ſijn duerniones behalven ** *** **** Llll tot Xxxx en Eee ee dat ſijn maar enkelde of halve bladen.

ANTIQ
ATALIÆ

[illegible] V
[illegible]